UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# D. Marcvs Evangelista. Rodolphi Gvaltheri Tigurini in Euangelium Iesu Christi secundum Marcum Homiliæ CXXXIX.

**Gwalther, Rudolf**

**[S.l.], 1570**

**VD16 W 1048**

Capvt I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-71833

Visual Library

# IN EVANGELIVM IESV CHRISTI SECVNDVM MARCVM, RODOLPHI GVALTHERI TIGVRINI HOMILIAE.

## CAPVT I.

### HOMILIA I.

**INITIVM Euangelij Ieſu Chriſti, filij Dei, ſicut ſcriptum eſt in Prophetis.**

De Euangeliſtis in genere.

SICVTI *Deus pater humano generi ſaluatorem dedit, filium ſuũ Ieſum Chriſtum: Ita certos quoq; teſtes cõſtituit, qui ſalutem illius merito partam mũdo prædicarent. Etſi verò illi omnes, propter fauſtum & felix ſalutis nuntiũ, Euangeliſtæ dici poßint, hic tamen titulus ijs potißimũ in Eccleſia tribui conſueuit, qui Chriſti Ieſu incarnati hiſtoriam ſcriptis prodiderunt. Cauſa eius rei fortaſſe fuit, quòd qui ueri nuntij ſunt & fide digni, non rem geſtam modò, ſed ut geſta ſit, narrare ſolent. At Euangelicæ hiſtoriæ ſcriptores, quatuor numerãtur, duo apoſtoli, Matthæus & Ioannes: duo item viri apoſtolici, ſiue diſcipuli Apoſtolorum, Marcus & Lucas. Nec temere factum putabimus, quòd poſtremi iſti Apoſtolis adiuncti fuerunt. Ita enim caueri oportuit, ne quis Chriſti ſpiritum vel ſolis Apoſtolis datum fuiſſe, vel ſaltem in illis ceſſauiſſe putaret. Nunc verò omißis alijs, de ſolo Marco paucis dicetur, cuius hiſtoricam de Chriſto Ieſu narrationem, eiuſdem Chriſti gratia freti, ad Eccleſiæ inſtitutionem & Dei gloriam explicare inſtituimus.*

De S. Marco. Act. 12.

*Fuit is (vt magno conſenſu veteres perhibent) Hieroſolymitanus ciuis, Mariæ filius, quæ Luca teſte, Hieroſolymis eccleſiæ hoſpitium præbuit, ſuamq; domum ſacris conuentibus dedicauit, quando Herodes ſuam aduerſus Chriſti diſcipulos tyrannidem exercuit. Sunt qui tradunt, illũ ex* LXX. *diſcipulorum numero fuiſſe, quos Chriſtus præter Apoſtolos Euangelij prædicationi deſtinauit. Conſtat ſanè illum primùm Paulum & Barnabam (cuius conſobrinum vocat Paulus) ſecutum fuiſſe. Tandem Petro conuerſatus eſt, cuius & diſcipulum & interpretem S. Hieronymus nominat. Scripſit penes hunc (vt pleriq; veterum teſtantur) hoc ſuum opus Euangelicum. Poſtea in Aegyptũ profectus, genti ſuperſtitioſiß. primus Chriſtum prædicauit, & Alexandriæ eccleſiam conſtituit, cuiuſq; ad octauum Neronis annum (qui à Chriſti natalibus ſexageſimus quartus, & ab eiuſdem morte trigeſimus numeratur) præfuit. Cum autem Neronis iuſſu eccleſiã paßim perſequerentur impij, Marcus etiam per vrbem vnco tractus, glorioſam pro Chriſti teſtimonio mortem ſubiuit, & quam viuus tradiderat doctrinam, ſanguinis proprij teſtimonio confirmauit.*

Coloſſ. 4.

Deus uult nos ſaluos fieri, & in ueritatis cognitionem uenire. 1. Tim. 2.

*Hic verò nobis obſeruanda venit Dei bonitas, qui miſeros nos non modò per filium ſuũ redimere dignatus eſt, verumetiam lætum noſtræ redemptionis nuntium per idoneos teſtes in orbe vulgari voluit, & vniuerſam filij ſui hiſtoriam ſcriptis comprehenſam proponit, vt certior ſit noſtræ fidei & ſalutis authoritas, qua aduerſus ſatanæ tentationes firmi & intrepidi nitamur. Porrò præmißis iſtis ad Marci verba accedemus, quibus opus ſuum exorditur.*

Propoſitio.

*Proponit ſummam eorum, quæ dicturus eſt. Obſcurior autem videtur Hebreæ linguæ ignaris, quando inquit: Initium Euangelij Ieſu Chriſti, filij dei, &c. Poteſt tamen ita reſolui oratio: Exponam Ieſu Chriſti Euangelium, quod ita cœpit, ſicuti Prophetæ olim prædixerunt. Vel, cuius initium & progreſſus cum priſcis Prophetarum oraculis per omnia congruit. Et mox Malachiæ locum de Ioanne allegat. A quo narrandi initium facit, quia in eo demum Chriſti negotium cœpit, qui non antea ſe mundi redemptorem eſſe declarauit, quàm ipſi per Ioannis prædicationem via apud homines præparata eſſet. Quin ipſe alibi inquit: Lex & Prophetæ vſq; ad Ioannem, ab eo tempore autem re-*

gnum dei annunciatur. Luc. 16. Quia verò de his ſuo loco agetur, in præſenti de tribus dicendum erit,
quorum mentionem Marcus hiſce verbis facit.

1. Primò Euangelij vox occurrit. Quæ à Græcis ſumpta, & Latinis quoque ſcriptoribus vſitata,
Euãgeliũ quid. propriè bonum lætumque nuntium ſignificat. Quoad verò rem ipſam, ex ipſis Apoſtolorum ſcriptis
Rom. 1. certa illius definitio peti debet. Paulus ad Rom. ſe dicens ſegregatum in Euangelium dei, mox ad-
dit: Quod ante promiſerat per Prophetas ſuos, in ſcripturis ſanctis, de filio ſuo, qui genitus fuit ex
ſemine Dauid, ſecundum carnem, qui declaratus fuit filius dei, cum potentia, ſecundùm ſpiritum ſan-
ctificationis, ex eo quòd reſurrexit è mortuis. Et paulò poſt, Euangelium vocat potentiam dei ad
ſalutem omni credenti. Omnium verò euidentiſſimè in poſteriori ad Corinth. loquitur, hiſce verbis:
Omnia ex deo, qui reconciliauit nos ſibi per Chriſtum, deditque nobis miniſterium reconciliationis.
Quandoquidem deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, non imputans eis peccata ſua: & po-
ſuit in nobis SERMONEM RECONCILIATIONIS. Itaque nomine Chriſti legatione fungimur,
tanquam deo vos obſecrante per nos: rogamus pro Chriſto (id eſt, Chriſti nomine) recõciliemini deo.
1. Ioan. 1. Et Ioannes Apoſtolus, teſtimonium de Chriſto, quem ipſi viderint & contrectarint, & vitæ æternæ
Euangelij definitio. denuntiationem, vocat Euangelium. Eſt ergo teſtimonium bonitatis dei, quo nuntiatur, illum no-
bis reconciliatum eſſe, & promiſſiones patribus olim factas impleuiſſe, per Chriſtum filium ſuum, qui
homo factus, cauſam noſtram ſuſcepit, peccatũ ſua morte expiauit, mortem reſurrectione vicit, nosque
patri reconciliatos, eidem per fidei obedientiam conſecrat. Eſt hæc definitio fuſior & prolixior ali-
quantò. At meminerimus, talem omnino requiri, quando Euangelium omnia ea comprehendit, quæ
ad noſtram ſalutem faciunt. Porrò hic nobis tria obſeruanda veniunt.

Euangelium teſtimoniũ dicitur. Primum, Euangelio teſtimonij nomen tribui. Ita ſanè frequenter illud vocat Ioannes Apoſto-
lus, nimirum ad illud Chriſti reſpiciens, qui Apoſtolos ſuos teſtes fore dixit. Ioan. 15. Act. 1. Aſſerit
hoc doctrinæ Euangelicæ veritatem & certitudinem, & eos arguit, qui illam in dubium vocare au-
Apoc. 17. 12. 19. &c. dent. Peccant illi, non in Euangelij præcones, ſed in dei filium, cuius illi miniſtri ſunt. Imò deum
1. Ioan. 5. mendacij arguunt (vt Ioannes monuit) quaſi is filij ſui cauſam falſis teſtibus apud homines tueri vo-
luerit. Atqui ex legis diuinæ præſcripto fidem merentur quicunque idonei & legitimi teſtes ſunt, neque
facilè locus datur ijs, qui talibus fidem derogare audent. Quantò igitur atrocior eorum audacia eſt,
qui à Dei filio productos teſtes reijciunt, & ita non tam apoſtolis quàm ipſi Deo iniuriam faciunt,
quaſi is filij ſui cauſam falſis teſtimonijs fucare voluerit. Sunt iſti reuera digni, qui reconciliatione
omni excidant, quando ſermonem reconciliationis tanta improbitate faſtidiunt. Vide Hebr. 10. cap.

Euangelij partes. Secundò Euãgelicæ prædicationis partes, & quomodo illa tradi debeat, nouiſſe oportet. Vbi Chri-
ſtus audiendus erit, qui ab Apoſtolis iam diſceſſurus, ait: Sic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum
Luc. 24. pati, & reſurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam ac remiſſionem pec-
catorum. Comprehendit his primò hiſtoriam ſuæ cùm paſſionis tum reſurrectionis, ad quam totum
incarnationis ſuæ myſterium referri debet. Simul verò eiuſdem vſum duabus partibus, pœnitentia
& pecatorum remiſſione, complectitur, & vtramque in ſuo nomine prædicari debere ait, eo quòd
Actor. 5. ipſe à patre exuſcitatus eſt, vt daret Iſraeli pœnitentiam & remiſſionem peccatorum. Eſt autem
pœnitentia conuerſio totius hominis ad deum, à quo omnes peccando ſeceſſionem feceramus. Qua cùm
Pſalm. 51. nobis omnino opus ſit, eandem tamen ex nobis ipſis nunquam præſtabimus, quando in peccatis concepti
& nati ſumus, & proinde illius atrocitatem adeò non agnoſcimus, vt potius in illius ſeruitio volu-
Ioan. 3. ptatem omnem collocatam putemus. Cœlitus ergo nos innouari oportet, & nouis viribus inſtrui, quas
Philip. 4. per Chriſtum nobis deus confert, in quo ſe omnia poſſe Paulus teſtatur. At quia conuerſio hæc, quoad
ſalutem, inutilis eſſet, niſi delerentur ſimul & remitterentur peccata, quibus dei iram iam prouocaui-
mus, in Chriſto ſimul peccatorum remiſſionem deus contulit, quam ſimiliter Euangelium nobis an-
nuntiat. Et quia homines indeſinenter tentantur, vt vel peccatis ſeſe totos mancipent, aut in pecca-
tis ſuis de dei gratia deſperent, duo hæc inter docendum ſemper coniungi, nec vnquã ſeparari debent.
Hinc verò patet, qui nam veri Euangelij præcones ſint, & quam errent, qui peccatorum redargu-
tionem ad Euangelij doctrinam minus pertinere dicunt, & qui ſuperſtitioſas peccatorum expiatio-
nes reprehendi nolunt, quibus homines dementati in ſuis ipſorum viribus atque meritis quærunt, quæ
in vno Chriſto quærere oportebat.

Tertiò

*Tertiò Euangelij finem, quoad noſtrum officium, obſeruare conuenit. Eſt is obedientia fidei, ſicuti Paulus admonet Rom.1. & 16. 2.Cor.10. Vt enim in Chriſto pœnitentiã & remiſsionem peccatorum prædicat: Ita eidem omnes adducit & conſecrat, vt in illo ſibi viuendum & moriendum eſſe intelligant. Admonet hoc, vt à nobis Euangeliũ recipi debeat. Fides exigitur, qua vnum Chriſtum ſaluatorẽ agnoſcamus, & quæ ex hac promanat obedientia. His vniuerſa religio & vniuerſa vitæ noſtræ officia continentur, quæ omnia ad Chriſti regulam, quæ Euãgelio continetur, formari oportet. Parum ergo Euangelici ſunt, qui vel in fidei negotio multa Chriſto coniungunt, per quæ illius merito & gloriæ plurimum decedit: vel vitam ſuam ita inſtituunt, vt illos carni potius & diabolo, quàm Chriſto addictos eſſe conſtet.* — Euãgelij finis.

*Sed ad Marcum redeamus, qui Euangelium vocat Ieſu Chriſti, filij dei. Ita verò totius negotij Euangelici authorem, dominum, executorem & fundamentum exprimit. Nam tota ſalutis ratio, quæ Euangelio traditur, in vno Chriſto continetur, qui traditus fuit propter peccata noſtra, & excitatus eſt propter iuſtificationem noſtri, qui etiam ad dextram Dei eſt, & intercedit pro nobis. Rom.4.8. Facit hoc multum ad Euangelij dignitatem, & noſtræ fidei certitudinem, quando illud non aliquem ex hominibus (quorum omnia decreta manca & inſtabilia ſunt) ſed dei filiũ authorem habere conſtat. Et ſimul arguuntur, qui ſalutem vel aliqua ex parte extra Chriſtum monſtrant. Hi enim non Euangelium Chriſti Ieſu, ſed aliud & Apoſtolis ipſis incognitum prædicant, & proinde iuxta Pauli ſententiam anathema dici merentur. Gal.1.* — II. Euangeliũ Ieſu Chriſti.

*Obſeruabis autem, Chriſtum à Marco diſertè Dei filiũ dici. Matthæus Abrahami & Dauidis filium vocat, vt eum eſſe oſtendat, qui olim Abrahamo et Dauidi promiſſus fuit. At Marcus ipſum ſalutis fontem propius attingit, & quaſi digito monſtrat, quando dei filium eſſe dicit: non quidem adoptiuum, quales nos ſumus ex gratia, nec talem qui aliquando eſſe cœperit, & proinde patre minor ſit: ſed verum, germanum, patriq; coæternum atq; coeſſentialem. Neq; temere hoc in operis ſui initio annotare voluit. Inde enim conſtat, illum nos ſaluare potuiſſe, quando per ipſum omnia ſunt condita. Ipſe certè Chriſtus ſuis valedicturus, diuinitatis ſuæ diſertã mentionem facit, dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Ita nimirum fidem ſuorum confirmans, ne de ſalute per ipſum par taquicquam dubitarent. Et Ioannes Apoſtolus à Chriſti diuinitate Euangelij hiſtoriam orditur, & tandem circa epiſtolæ ſuæ finẽ, hanc ipſam ob cauſam diligenter inculcat. Non eſt ergo, quod illorum deliria audiamus, qui cum Chriſtianiſmi veri reſtitutores dici velint, olim ſepultam Arij hæreſim ex inferis reuocant, & de vera atq; æterna Chriſti diuinitate dubitare docent. Iidem enim ſalutis noſtræ fundamenta conuellunt, quando ex ſcripturis conſtat, vni & ſoli deo omnem deberi noſtræ ſalutis & redemptionis gloriam. Interim hoc illis etiam confutandis ſeruit, qui ſalutem ſuam proprijs viribus & meritis tribuunt, aut diuis mediatoribus nituntur, quando ne Chriſtus quidem Saluatoris & mediatoris officio potuiſſet fungi, niſi idem verus & æternus fuiſſet Dei filius.* — Chriſtus Dei filius. — Matth.28.

*Poſtremò Euangelici negotij modum & rationem Euangeliſta edocet, quando illud ita cœpiſſe ait, ſicuti olim à Prophetis prædictum fuerat. Videtur autem ijs occurrere voluiſſe, qui Chriſti doctrinam, vt nuperam & nouam auerſantur. Quia enim nouitas in religione exoſa & inuiſa eſt. Satan iam inde ab initio fidem in Chriſtum hoc nomine apud omnes gentes ſuſpectam facere ſtuduit. Et ſanè ſtupenda videri poterat illius tum aſtutia tum audacia, qua tale quid cõtra eam doctrinam conatus eſt, quam primis parentibus ab ipſo deo traditam eſſe non ignorauit: niſi nota eſſet infelix mundi corruptio, qua fit, vt vndique rebellionis occaſionem arripiant, quibus alioqui graue & intolerabile videtur, ſub dei veri legibus viuere. Poterant hic ea adduci, quæ prophetis olim impij veritatis oſores obiecerunt. Sed vnicus Actorum Apoſtolicorum liber ſufficit, qui non gentes modò, verumetiam Iudæos de Apoſtolis conqueſtos eſſe docet, quòd noua dogmata ſeminarent. Quin ipſe Chriſtus non ſemel ad Moſen & prophetas prouocat, eò quod ipſius doctrinam illis repugnare dicerent. Vt ergo Marcus ſemel omnem nouitatis ſuſpicionem tollat, Euangelium Prophetarum oraculis per omnia conſentire initio ſtatim profitetur.* — III. Euãgelium per prophetas promiſſum. — Ioan.5.

*Hic verò obſeruandum venit, ſalutis rationem & fidem, quæ Euangelio traditur, omnium vetuſtiſsimam eſſe. Illius enim ſummam prima promiſsio continet, quæ ſemen mulieris caput ſerpentis conculcaturum pollicetur. Atqui huic illuſtrandæ omnes aliæ ſeruiunt, quas Abrahamo, Iſaaco, Ia-* — Fides Euangelica omnium uetuſtiſsima. Geneſ.3.

*cobo & reliquis patribus deus dedit. Quod ſi legem ſpectemus, ipſa quoq; pœnitentiã & peccatorum remiſsionem tradit, vtramque verò in Chriſto monſtrat, quem omnes legales ceremoniæ quaſi in tabula depingunt. Prophetæ non alia habent ſuarum concionum capita. Adhæc Chriſti Ieſu ortum & natales, progreſſum, miracula, doctrinam, mortem, reſurrectionem, aſcenſionem, Euangelij denique propagationem, & perſecutiones eccleſiæ, omnemq; illius curſum, quem ad finem ſeculi vſq; habitura eſt, ex ordine deſcribunt. Et id quidem omne ex ſpiritus Chriſti ſuggeſtione, ſicuti Petrus apoſtolus monet. Pudeat ergo ſuæ vanitatis eos, qui Euangelij doctrinam hodie nouitatis inſimulant, vetuſtatis verò nomine venditant ſuperſtitiones, quarum authores, initia, progreſſus & incrementa certis teſtibus demonſtrari poſſunt. Piorum verò fuerit, contemptis eiuſmodi calumnijs, agnitam veritatem conſtanter tueri, vt tandem ſuperatis huius vitæ moleſtijs, cum Chriſto Ieſu viuant, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

1. Pet. 1.

## HOMILIA II.

Ecce ego mitto nuntiũ meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Vox clamantis in deſerto; Parate uiam domini, rectas facite ſemitas eius.

**Euãgelij doctrina ſemper nouitatis inſimulatur.**

*ET ſi Deus ſalutis rationem, quæ in filio ſuo Ieſu Chriſto habetur, ab ipſa mũdi origine per verbum ſuum multiuariàm tradiderit, & ſimul typis legalibus adumbrarit: ea tamen eſt ſatanæ tum aſtutia tum audacia, vt hanc ipſam omnibus ſeculis nouitatis nomine ſuſpectam & exoſam fecerit. Nec mirum videri debet, illius calumnias à Iudæis, qui legali iuſtitia inflati nihil præterea quærebant, & à gentibus veri dei ignaris, admiſſas fuiſſe, quando hodie inter Chriſtianos Euangelij doctrina, eo nomine noua & hactenus incognita iudicatur, quòd in vno Chriſto ſalutem quærendam doceat. Cauſa erroris eſt, quòd pleriq; neglectis ſcripturis & ſanctorũ patrum exemplis, quæ in libris deſcribuntur, ad eos duntaxat reſpiciunt, qui illos proximè præceſſerunt, quorum fidem damnare nefas eſſe ducunt: Huic igitur errori, quem etiam Chriſti & apoſtolorum temporibus regnauiſſe conſtat, Marcus ab initio ſtatim ſui operis occurſurus, Euangelij principiũ & progreſſum talem fuiſſe ait, qualem olim prophetæ prædixerunt. Quæ verba diligenter tenenda ſunt, vt de fidei noſtræ vetuſtate certi, & ſalutis in Chriſto ſecuri, illius myſteria in veteris quoq; teſtamenti libris inueſtigare diſcamus. Vide Ioan. 5. Scrutamini ſcripturas, &c.*

**Argumentum præſentis loci.**

*Cæterum eius quod dixit, confirmationem modò ſubijcit Marcus, dum prophetarum de euangelici negotij initio oracula allegat. Poterat autem altius petito principio, multis referre, quæ de Chriſti conceptione, natiuitate, infantia & educatione prophetæ vaticinati ſunt: ſed omiſſis ijs, quæ à Ioanne Baptiſta habentur adducit: eò quòd in illo demum Euangelij doctrina promulgari, & Chriſtus mundo ſolenniter reuelari cœpit, vt nuper monuimus. Vbi nobis obſeruanda venit Dei fides & bonitas erga ſuam eccleſiam, quam ſcriptis inutilibus adeò noluit grauare, vt potius filij ſui pueritiam, & hiſtoriam rerum, quas ille totis penè triginta annis geſſit, ſilentio præteriri voluerit: nimirum pauculis illis contentus, quæ apud Matthæum & Lucam deſcribuntur, in quibus puræ & immaculatæ conceptionis, veræ incarnationis, & diuinitatis irrefragabilia argumenta elucent. Quarum cognitio vt neceſſaria eſt, ita paucis iſtis abundè comprehendi potuit. Docent hæc, quid de putidis & futilibus monachorum libris iudices, quos illi de Maria virgine, Chriſti pueritia & educatione conſcripſerunt: quibus ſatan hoc vnum effectum voluit, vt ab ipſis Chriſtiani nominis profeſſoribus totum ſalutiferæ incarnationis Chriſti negotium Iudæis & Turcis irridendum propinaretur. Simul illorum quoque temeritas arguitur, qui vel ipſi curioſius ea ſcrutantur, quæ ſcriptura reticere voluit, vel eccleſijs immani confidentia ea obtrudunt, quæ ipſi ex ſuo cerebro ſibijpſis finxerunt. Tutiſsimum ſanè fuerit, ſi ſcripturæ ſacræ traditionibus contenti, intra Chriſtianæ modeſtiæ metas noſtri ingenij curioſitatem contineamus.*

**Deus eccleſiam non grauauit libris inutilibus.**

*Porrò quo ad Marci contextum, ita argumentari videtur. Prophetæ Meſsiam ſiue Chriſtum præcurſore vſurum tradidère, qui viam illi præparet. At præcurſor eiuſmodi Ioannes Baptiſta*

fuit

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

fuit, primus Chriſti iam incarnati præco: Ergo Euangelij Chriſti initium cum prophetarum oraculis conuenit. Duo autem allegat, quorum alterum ex Malachiæ tertio, alterum ex Eſaiæ 40. cap. deſumptum eſt. At operæpretium fuerit, ſingula diligentius excutere.

Locus Malach. 3. excutitur.

Malachiam poſt reditum è Babylone propheta ſſe conſtat, quando inter Iudæos, diuturna captiuitate nequicquã caſtigatos, ſumma erat tum in politicis tum in eccleſiaſticis rebus corruptio. Nec tamen deerant boni aliquot, qui reſtitutionem in Chriſto futuram auidè expectabant. Eiuſdem aduentum non minus in ore habebant hypocritæ, & inter hos ij potiſsimum, penes quos erat religionis & cultus externi adminiſtratio. Vtriſq; ergo per prophetam reſpondet dominus, & ſe Meſsiam quidem certò miſſurũ pollicetur, eundem verò longè alium fore prædicit, quàm impij hypocritæ ſibijpſis falſo perſuadeant. Verba apud prophetam hæc ſunt: Ecce ego mitto nuntium meum, & complanabit viam ante me, venietq; repentè ad templum ſanctum ſuum dominus, quem vos quæritis, & angelus fœderis, quem vos deſyderatis. Ecce venit, dicit dominus exercituum. Et quis ſuſtinebit diem aduentus eius? & quis, cùm ille apparuerit, conſiſtet? Eſt enim quaſi ignis excoquens, & quaſi ſmigma fullonum. Sedebit ſicut conflator & repurgator argenti, & filios Leui emundabit. Conueniunt hæc ijs rectiſsimè, quæ de Chriſto ab Euangeliſtis traduntur. Præceſsit enim huius aduentum Ioannes Baptiſta, qui pœnitentiæ doctrina hominum mentes ad illum excipiendũ præparauit, & eoſdem baptiſmo tinctos huic nomina dare coegit. Secutus eſt illum Chriſtus repentè, quando nimirum rebus populi Iudaici afflictiſsimis vix pauculi aliquot tantã ſalutem ſperare auderent. Venit autem in templum ſuum, ipſam ſcilicet Eccleſiam, cuius nomen tunc temporis penes ſolos Iudæos erat. Huius verò reformandæ munus ex patris decreto aggreſſus, Leuitas & ſacerdotes, qui religionem quæſtum fecerant, eiecit, & incorrigibiles ſui iudicij igne per Romanos tandem excidit, & in eorum locum Apoſtolos ſubſtituit viroſq; apoſtolicos, qui per Euangelij prædicationem Eccleſiam nouã ex omnibus gentibus collegerunt, & ita domino templum extruxerunt, cuius ſplendor & magnificentia Iudaicum illud longè exuperat. Hic verborum Malachiæ ſenſus eſt, qui quàm aptè Marci inſtituto, & ipſius Ioannis miniſterio ſeruiat, quiuis facilè intelliget. Et ſanè huc mihi Baptiſta reſpexiſſe videtur, quando in ſacerdotum & ſcribarum ordinem imminentis iudicij denuntiatione potiſsimùm inuehitur.

Locus Iſa. 40 excutitur.

Sed Iſaiæ quoq; locum videamus. Orditur ille cap. 49. nouã concionem, qua eos, qui in Babylo-
nem abducendi erant, conſolatur, & ne omnem veterum promiſsionũ ſpem abijcerent, prædicit fore,
vt liberati in patriam redeant, & vrbem cũ templo feliciter inſtaurent. At quia liberatio illa, eius
typum geſsit, quam in Chriſto habemus, quæcunq; de illa dicuntur, ad Chriſti & noſtræ redemptio-
nis negotium referri debent. Vt enim Iudæi propter ſcelera ſua in Babyloniorum manus traditi, & 1
eò demerſi fuerunt, vnde ſuis viribus & conſilijs eluctari ipſis impoſsibile fuit: Ita propter primi pa-
rentis tranſgreſsionem, & quæ inde in omnes poſteros manauit peccati noxã, Deus vniuerſum mor-
talium genus in diaboli poteſtatem tradidit, qui illud tum peccati tum mortis & inferorum vincu-
lis ita conſtrinxerat, vt illis ſoluendis nulla hominum conſilia, nullæ vires, nulla opera aut merita
ſufficerent. Vt verò Iudæis, cùm nulla illorum merita interceſsiſſent, propter promiſſum Saluato- 2
rem, qui ex illis naſciturus erat, ex mera gratia libertas obtigit: Ita cœleſtis pater humani generis
miſertus, infelicem illam captiuitatem per Chriſtum gratuitò ſoluit, noſq; euerſo per hunc ſatanæ
regno in libertatem filiorum ſuorum aſſeruit. Et vt populi è Babylone dimiſsi reditum nec inuia 3
deſerta, nec improbi hoſtes impedire potuerunt: Ita quia humani generis redemptionem æterno ſuo
conſilio deus decreuerat, eidem vniuerſam tum mundi tum principis illius, diaboli potentiam cede-
re, & remoras omnes è medio tolli oportuit. Quoad verba autem, quæ à Marco citantur, Iſaias
ad terræ Iudaicæ in ruinis iacentis & itinerũ è Babylone vaſtitatem alludens, præambulones ſiue
præcurſores fingit, qui in deſerto viam complanari & omnia præparari curent, vt redeunti populo
tutior ſit & facilior ad ſuas ſedes acceſſus. Ita verò ait: Vox clamantis in deſerto: Parate viam do- "
mini, in ſolitudine rectas facite ſemitas deo noſtro. Omnis vallis exaltetur, omnis mons & collis hu- "
milietur, & fiant quæ obliqua ſunt, directa, & aſpera vertantur in vias planas, & reuelabitur glo- "
ria domini, &c. Quæ verba propter typum (quem modò expoſuimus) Marcus commodiſsimè ad "
Ioannis miniſterium transfert, qui (ne quid diſſonare videretur) in deſerto Iudææ ijſdem propè ver-

*bis populi Iudaici ordines omnes exhortatus eſt, vt Chriſto aduentanti viam & locum in cordibus ſuis præpararent.*

I. Euangeliũ præparationem totius hominis requirit.

*Reſtat, vt verborum expoſitioni locos, qui ad noſtram inſtitutionem pertinentes his continentur, inſpiciamus. Vbi primùm occurrit, quòd Euangelij ſiue regni ſui adminiſtrationẽ Chriſtus ab Ioannis miniſterio inchoare, & illo præcurſore & præparatore vti voluit. Admonemur itaq; ijs legitima præparatione opus eſſe, qui Chriſti & ſalutis, quam ille nobis acquiſiuit, conſortes eſſe voluerint. Vt enim principes per deſerta & inuia loca proficiſci nolunt, niſi præmiſsis ante viarum ſtructoribus, quorum miniſterio quæuis neceſſaria in ipſorum aduentum præparentur: Ita Chriſtus Ieſus, quem* Pſal. 2. *deus pater ſuper montem ſuum ſanctum, Zion, regem conſtituit, nec ad nos peruenire, nec in nobis habitare volet, niſi animos noſtros ritè præparatos eſſe videat. Si enim quales in peccatis concipiamur & naſcamur videas, planè indignos reperies in quibus Chriſtus habitet, aut quos pro membris & conſortibus ſuis agnoſcat. Et qui malorum colophon eſt, eam in carne noſtra circumgeſtamus totius noſtræ naturæ corruptionem, vt nec ſeruitutis peccati acerbum & exitiale onus ſentiamus, nec nos aliquo ſaluatore putemus opus habere. Vt ergo medicina in affecto corpore locum habere nequit, donec ſuperflui & noxij humores expurgati fuerint: Ita nec ſalutare illud Euangelij Ieſu Chriſti pharmacum nobis conueniet, niſi prius repurgati & animis totis præparati fuerimus. Ideò Chriſtus Nicodemo ſalutis & fidei veræ rudimenta traditurus, à regeneratione orditur, & hominem,* Ioan. 3. *niſi illa præcedat, regnum Dei videre non poſſe teſtatur. Et diſcipulos Euangelij prædicationem à* Luc. 24. *pœnitentiæ doctrina incipere iubet. Multùm ergo falluntur, qui in Euangelio ſecuram peccandi licentiam quærunt.*

II. Præparatio Euangelica ĩ quibus uerſetur.

*Porrò, in quibus Præparatio hæc conſiſtat, videndum erit. Primùm ardens ſalutis deſyderium exigitur, quale Dauid ſenſit, quando ſe ceruo ob aquarum fontes rugienti confert. Pſal. 42. Niſi enim ſancta hæc ſitis in nobis quoque ardeat, ſalutem quæ in Chriſto per Euangelium propinatur, nunquam ea, qua decet, animorum gratitudine amplexabimur. Ideo Chriſtus ſitientes & eſurientes ad ſeſe inuitat, eos item, qui nimio peccatorum pondere preſsi in conſcientijs ſuis laborant. Idem ſe ægrotantibus medicum veniſſe ait, eos intelligens, qui ingenitam naturæ ſuæ corruptionem agnoſcunt, & illius ſenſu excitati, medicum & medicinam expetunt. Secundo loco, ea remoueantur oportet, quæcunq; Dei oculos offendere poſſunt. Quò cumprimis facit Iſaiæ locus, quem & Lucas integrum poſuit, eò quòd eleganti allegoria comprehendit, quicquid hic dici poteſt. Per valles enim & colles ſiue montes, per obliquas item vias & aſperas, varia & diuerſa hominum ingenia, & viuendi rationes cùm diuinæ voluntatis regula pugnantes, intelligit. Vallium ergo nomine deſperabundos exprimit, qui metu & peccatorum conſcientia quaſi abſorbentur, & vt valles imæ dehiſcunt. Hi per bonæ voluntatis Dei & gratiæ denuntiationem erigi debent, vt ſibi veniæ & remiſsionis locum apud Deum eſſe intelligant. Per colles & montes, eos intellige, quos vel huius ſeculi fortuna, vel ſua iuſtitiæ inſolens fiducia effert, vt ſibi gratuita iuſtificatione & ſalute minimè opus eſſe exiſtiment. Qui niſi diuinæ maieſtatis & iudicij prædicatione humilientur, fruſtra illis Chriſtum & cœleſtis vitæ theſauros prædicaueris. Incurui & obliqui ſunt, qui animos diuerſis affectibus & infinitis errorum ambagibus perplexos & diſtortos habent. Quos iuxta verbi diuini regulam extendi oportet, & dirigi. Sunt item aſperi, ſiue duri & intractabiles, qui omnem diſciplinam faſtidiunt, & proinde Chriſti capaces non ſunt, niſi poſita animorum duritie, ceruices ſuas iugo ipſius patienter ſubmittant. Horum verò omnium finis ſit, Dei gloria, quæ in Chriſto verè manifeſtata eſt, quando nimirum deuicto huius mundi principe, ſui nominis maieſtatem aſſeruit. At cùm in his conſiſtat Chriſtiana præparatio, næ illi turpiter errant, qui cùm Euangelici dici & haberi velint, nunquam de expurgandis ſuperſtitionibus aut emendanda morum diſciplina cogitant: quin etiam indignè ferunt, ſi quis Chriſti zelo inflammatus ea demoliri aut corrigere inſtituat, quæ & noſtræ ſaluti, & gloriæ Dei palàm officiunt.*

Iſaiæ 55. Ioan. 7. Malach. 9. 11. Luc. 3.

III. Deus hominum miniſterio utitur.

*Poſtremò obſeruabis, quòd ad præparationem hanc Chriſtus Ioanne miniſtro vti voluit. Atqui poterat ipſe ſubitò nouas mentes creare, poterat à peccandi ſtudio per occultam ſpiritus ſuggeſtionem abſtrahere, & ardens in omnium animis incendere ſalutis deſyderium. Sed vt noſtræ infirmitati ſeſe accommodet, hominum miniſterio vtitur. Quem morem iam inde ex quo*

in Iſraële

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

in Iſraele eccleſiam conſtituit, ab illo obſeruatum eſſe conſtat. Et in nouo Teſtamento nihil quoad
externi miniſterij ordinem & vſum mutatum eſt. Quin Paulus, Chriſtum ſpiritus ſui dona inter Epheſ. 4.
homines largiri, & illum eccleſiæ ſuæ paſtores, Apoſtolos, doctores & Euangeliſtas dare ſcribit.
Arguit hoc illorum deliria, qui verbi miniſterium, ceu ſuperuacaneum faſtidiunt, & conciones ſa-
cras aſpernantur. Fingunt illi quidem internum quoddam verbum & occultam ſpiritus ſuggeſtio-
nem. Sed à ſpiritu Dei alieniſſimos eſſe, vel hoc ſolo argumento colligi poteſt, quòd Dei ordinatio-
nem inſolenti faſtidio explodunt.

Interim hoc loco, quæ nam ſit miniſtrorum verbi conditio, elucet. Ioannes Dei nuncius ſiue lega- Miniſtrorum Verbi conditio & officium.
tus dicitur. Et Chriſtus eodem nomine ſuos diſcipulos ornauit, quos Euangelij prædicationi deſtina-
uerat. Apoſtoli enim vox Græca, Latinis legatum ſonat. Nominis huius ratio eſt, quòd per hos 1
ſuam voluntatem Deus mundo denunciat. Quò Paulus reſpexit, quando de miniſtrorum Euangelij
functione loquens, inter alia inquit: Itaque nomine Chriſti legatione fungimur, &c. Nec eſt quòd 2. Cor. 5.
legati nomen ſolis Apoſtolis conuenire putemus. Quia enim eiuſdem doctrinæ cum illis miniſtri ſunt
qui hodie Euangelium prædicant, & Verbi ſui miniſterium Chriſtus in eccleſia perpetuum eſſe vult,
idem quoq; nomen retineri debet. Vt enim hoc miniſtris apud auditores authoritatem conciliat, ita
illos ipſos officij admonet, ne vel perfidè celent quod à Deo in mandatis habent, vel aliquid de ſuo
impia temeritate affingant. Deinde vox clamantis, ſiue clamans, Ioannes dicitur. Et Deus verbi 2
ſui miniſtros clamare vult, id eſt, diſertè & liberè prædicare quod illis mandatum eſt. Sic Iſaiæ Iſa. 58.
dicitur: Clama ex gutture, ne ceſſes, exalta inſtar tubæ vocem tuam, &c. In quam ſententiam Apo- Matth. 10.
ſtolis Chriſtus dicit: Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce: & quod in aurem auditis, prædicate
in tectis. Quibus omnibus diſerta & perſpicua dicendi libertas præcipitur: qua cumprimis opus
eſt, tum quia mundi & carnis illecebris ſopiti, vix dum ad nos pertinere putamus, quæ vel de cœ-
leſtis regni gaudio, vel peccatorum atrocitate dicuntur: tum quia peccatum altius in animis &
carne noſtra radices egit, quàm vt facilè euelli queat. Hinc eſt, quòd Baptiſta de Chriſto teſtifi- Ioan. 1.
cans, clamauiſſe dicitur. Et idem clamat quando ſingulis ordinibus ſua officia diſertè præſcribit, & Luc. 3.
in peccata ſic inuehitur, vt nec ſacerdotibus nec Herodi parcat. Ita Chriſtum & Apoſtolos clama-
uiſſe, id eſt, ingenuè & liberè prædicauiſſe legimus. Obſeruent hæc quæſo, qui miniſtros hodie hoc
nomine infamant, quòd clamoſos eſſe dicunt. Atqui canes muti dicuntur pſeudoprophetæ. Memi- Iſaiæ 56.
nerint tamen miniſtri, clamandum omnino eſſe, tum quia ſic Dominus iubet, tum quia hoc extrema
mundi corruptio poſtulat, quæ tanta eſt, vt ſi vel vndique ad arma & pugnam ſpiritualem concla-
metur, vix tamen pauculi ſint, qui ſeſe excitari patiantur. Cæterum totius functionis ſuæ hunc fi- 3
nem ſibi propoſitum habeant miniſtri, vt Dei gloria reueletur & propagetur. Fiet hoc, ſi quàm plu-
rimos ſalutifera Chriſti cognitione illuminarint. Qui id facere negligunt, & ſuam modò gloriam
quærunt, ij nec fide præditi ſunt (ſicuti Chriſtus de Iudæorum ſcribis ait) nec unquam quod quæ- Ioan. 5.
runt aſſequentur, imò infames tandem & inglorij neglectæ Dei gloriæ pœnas exoluent, quod Eli 1. Sam. 2. 3. 4.
ſacerdoti euenturum propheta minatus eſt, & eueniſſe ſacra hiſtoria teſtatur. Noſtrum fuerit,
Dei bonitatem agnoſcere, qui & ſalutis verbum indignis nobis offert, & vt illius capaces ſimus
nos præparat. Accommodemus nos illius gratiæ, vt ſub ipſius vmbra tutò degere poſſimus, & olim
æternum viuamus cum Chriſto Ieſu, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum.
Amen.

## HOMILIA III.

### Baptizabat Ioannes in deſerto, & prædicabat baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.

EXpoſuit diuus Marcus, Ioannem diuinitus prædeſtinatum fuiſſe, vt filij Dei redemptoris no- Argumentum præſentis loci, & uſus.
ſtri præcurſor eſſet, & pœnitentiæ doctrina quoſuis ad illum excipiendum præpararet. His in
præſenti ſubijcit, vt ille ſuo officio ſit functus. Eſtq; tota hæc tractatio memorabilis planè, &
digna in cuius conſyderatione diligenter verſemur, ne carnis & mundi blanditijs decepti, E-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

uangelio ad effrenem peccandi licentiam abutamur, ſicuti hodie vulgò fieri videmus. Quia enim per hoc humanæ iuſtitiæ meritum euertitur, & gratuita in ſolo Chriſto docetur humani generis redemptio atque ſalus: facilè inueniuntur, qui doctrinam illam inimicam bonorum operum eſſe clamant, & vt ſuas calumnias tueantur, pſeudoeuangelicorum corruptos mores nobis exprobrant. At calumnijs hiſce & ſcandalis præſens remedium afferet, ſi Ioannis miniſterium probè expendamus. Quorſum enim præcurſorem præmitti oportuit, qui vias hominum complanaret, & ſingulorum mentes præpararet, ſi Chriſtus, vt peccandi licentiam nobis faceret, in mundum venerat? Nec eſt quod fucatos Chriſtianæ fidei profeſſores nobis obijciant, quando homines pro ingenita ſua corruptione alijs quoq; Dei donis, vtcunq; ſanctis & ſaluberrimis, ad ſuam ipſorum perniciem turpiſſimè abutuntur. Sed omiſſis iſtis, præſentem locum inſpiciamus, qui fideliſſimi miniſtri Chriſti exemplum continet.

In deſerto Ioannes baptizauit.

Baptizabat (inquit) Ioannes in deſerto, & prædicabat baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Paucis verbis rem maximam comprehendit: Nec temere loci circunſtantia tam diſertè exprimitur. Vt enim hæc Iſaiæ oraculo pulchrè conuenit, ita quæ ſub Chriſti aduentum totius mundi conditio fuerit, admonet. Deſerta non modò ſterilitate laborant, verumetiam inuia & perplexa, adhæc omnis generis periculorum plena ſunt. Eadem planè eſt omnium hominum conditio, ſi quales ex Adamo naſcamur, conſyderes. Adeò enim non habitat in carne noſtra bonum, vt ex nobis ipſis ne cogitare quidem poſſimus quæ ad ſalutem noſtram faciunt. Et quia homo animalis non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, infinitis errorum ambagibus nos ipſos intricamus, ſi quando de religione & ſalutis cauſa aliquid ex nobis ipſis ſtatuimus. Accedunt his corrupti carnis affectus, quos ſecuti inſtar ouium erramus. Atque in iſto corruptiſſimo ſtatu, pericula paſſim occurrunt. Nam vt ea quæ corporibus ex maledictione Dei imminent, omittamus, animarum ſalus vndique hoſtilibus armis oppugnatur. Vt leo rugiens communis hoſtis, diabolus, obambulat, & quærit quem deuoret. Huic ſponte manus tradit & contra nos ipſos opem fert Caro, cuius figmenta ab ineunte ætate praua ſunt. Inſurgit mundus, qui modò oculorum faſtu & mellitis illecebris, atq; vulpina aſtutia, modò horribilibus minis & armis à ſalutis via incautos & malè firmos abducit. Horũ omnium nos admonere voluit ſpiritus ſanctus, quando Ioannes iuxta prophetarum oracula Chriſto viam in deſerto præparare debuit. At magnum diuinæ bonitatis argumentum eſt, quòd in tam horribile deſertum Dei filius venire, & illud ſalutifero ſui verbi ſimul & ſanguinis fonte rigare, & in eodem errores omnes tollere, virtutis atq; ſalutis viam aperire, & per hoc ambulantes ſpiritalibus armis aduerſus propriam carnem, mundum & mundi principem inſtruere debuit. Sunt tamen huius peculiaria exempla, in quibus illa luculentius cernitur: vt ſi eos populos inſpicias, quibus Chriſtus primũ innoteſcere voluit. Quàm enim horribile deſertum Iudæam fuiſſe putabimus, quando Hieroſolyma ipſa prophetarum ſanguine maduit, & ipſum Domini templum latronum ſpelunca fuit? De gentibus quid dicere attinet, quando totas à Deo alienatas & poteſtati tenebrarum ſubiectas fuiſſe ſcriptura docet? Noſtro autem tempore quàm vaſtum plenumq; periculi deſertum totus mundus fuerit, omnes norunt, qui inter horribiles ſuperſtitionum omnis generis tenebras oberrando, ſimul lupos, leones, harpyas, vulpesq; doloſas (perſonatos nimirum epiſcopos, monachos & ſacrificos) ſuis fortunis & corporibus explere coacti fuerunt. Venit tamen ad nos quoq; Chriſtus, vt Euangelij ſui luce triſtem hanc mundi ſenectam recrearet. Quòd ſi in ſemetipſos ſinguli deſcendant, et quales vel priuatim vel publicè fuerint conſyderent, quando Euangelij lucerna Deus ipſos inuiſere dignatus eſt, perſpicua huius gratiæ argumenta deprehendent, & verum eſſe fatebuntur illud Pauli: Vbi abundauit iniquitas, ibidem abundauit gratia. Noſtrum fuerit, Deo gratitudinis officium præſtare, ne tantis bonis aliquando miſerè excidamus.

Mundus inſtar deſerti eſt.
Rom.7.
2.Cor.3.
1.Cor.2.
Rom.1.
Iſa.53.
Gen.3.
1.Pet.5.
Gen.8.
Galat.5.
Bonitatis diuinæ argumentũ.
Matth.23.& 21.
Epheſ.2.
Col.1.&c.
Rom.1.

Ioannes baptizat & prædicat.
Mar.16.

Sed redeamus ad Ioannem. Baptizauit ille, & prædicauit baptiſmum pœnitentiæ, &c. Poterant ex verborum contextu Anabaptiſtæ confutari, qui neminem baptizandum eſſe contendunt, niſi qui prius credat, & fidem confiteatur, eò quòd alibi dicat Chriſtus: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluabitur. Inde verbi prædicationem & fidem, quæ ex verbi auditu oritur, neceſſariò præcedere debere contendunt, & eadem ratione infantibus baptiſmum negant. Atqui hoc loco baptiſmus verbi prædicationem præcedit. At omiſſis argutijs, loci ſenſum potius excutiamus. Ioannis miniſterium omne

omne Marcus exponere inſtituit. Quare communi Hebræorum more ſummam totius negotij præmittit, quam mox per ſuas partes explicat. Itaque baptizandi verbo vniuerſum Ioannis miniſterium complectitur, in quo baptiſmus peculiare quid & proprium fuit, adeò vt ex eo Baptiſtæ nomen acceperit. Expoſitionis loco ſubijcitur, quòd prædicarit baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum. Dicitur autem baptiſmus pœnitentiæ, eò quòd vitæ emendationem ab ijs requireret, qui Chriſto initiari volebant. Et in peccatorum remiſsionem conferebatur, non quòd illa vel baptiſmo connexa eſſet, vel noſtræ pœnitentiæ meritum ſequeretur: ſed quia Chriſtum Ioannes monſtrabat, qui & ad veram pœnitentiam regenerat, & in ſe credentibus gratuitam peccatorum remiſsionem confert. Quotquot autem doctrinam hanc admittebant, eos per baptiſmum externè etiam Chriſto conſecrabat. Ioannis igitur miniſterio duo hæc tribuuntur, doctrina nimirum & Baptiſmus. Doctrinæ partes itidem duæ ſunt, Pœnitentia & remiſsio peccatorum. Vt verò illas prædicarit, alij fuſius tradiderunt, Lucas cumprimis & Ioannes, quorum ille quidem quæ ſingulis hominum ordinibus officia præſcripſerit, narrat: hic verò non pauca ipſius de Chriſto teſtimonia ex ordine recenſet. Vtramque certè in vno Chriſto monſtrauit, quem ſolum igne & ſpiritu baptizare, & agnum illum Dei eſſe teſtatus eſt, qui mundi peccatum tollat. Quare euangelium Ioannes prædicauit, cuius haſce partes ab ipſo Chriſto conſtitui, in prima Homilia diximus, & quod ipſum alibi quoq; totum pœnitentiæ vocabulo comprehenditur. Ita enim in Actis diſcipuli dicunt: Igitur & gentibus Deus pœnitentiam conceſsit ad vitam. Quibus verbis Euangelium gentibus quoq; ex Dei beneficio innotuiſſe ſentiunt. Et Paulus, ſe Iudæis ſimul et gentibus teſtificatũ fuiſſe dicit, eam quæ erga Deum eſt, pœnitentiam & fidem. Non eſt ergo, quòd Ioannis doctrinam, à Chriſti & Apoſtolorum doctrina aliam fuiſſe putemus, quando ipſe Chriſtus illi regni Dei prædicationem tribuit.

Baptiſmus pœnitentiæ.
Luc.3.
Ioan.1.& 3.
Acto.11.
Acto.20.
Luc.16.

Poterant hic doctrinæ Euangelicæ partes pluribus explicari, ſed quia de ijs nuper quædam dicta ſunt, & de iiſdem dicendi nunquam non ſeſe occaſio offert, in præſenti de duobus tantùm agemus, quæ ad huius loci tractationem propriè faciunt.

Primum eſt, quæ ſit miniſterij eccleſiaſtici ratio. Quia enim Ioannes primus noui Teſtamenti miniſter eſt, in eodem haud dubiè abſolutam miniſterij formulam ſpiritus ſanctus propoſuit, quæ doceat, quibus rebus eccleſiæ opus ſit. Atqui Ioannes prædicauiſſe & baptizauiſſe dicitur. Ad baptiſmum quæcunque ſunt eius generis externi ritus ſiue Symbola referri debent, quæ veteres olim Sacramenta dixerunt. Circa doctrinam ergo & Sacramenta eccleſiæ miniſterium verſatur. Doctrina Dei promiſsiones, ſalutis rationem & vitæ Chriſtianæ officia, quæq; ex his ducuntur inſtitutiones, admonitiones, adhortationes, correptiones, & conſolationes continet. Huic verò Sacramenta iungit Deus, quæ ſacræ actiones ſunt, quibus ſua promiſſa nobis Deus obſignat, & totum ſalutis negotium externis quoq; ſenſibus exponit, nosq; noſtri officij admonet. Coniunguntur hæc doctrinæ, eò quòd caro noſtra & infirmior & tardior eſt, quàm vt ſalutis promiſsiones & Chriſti myſteria ſuæ rationis intellectu apprehendere, aut fideliter retinere poſsit, ſi nuda & qualia in ſeſe ſunt proponantur. Vnde olim D. Chryſoſtomus ſcribebat: Si tu incorporeus eſſes, nuda tibi tradidiſſet hæc omnia dona: quia autem corpori coniuncta eſt anima tua, in rebus ſenſibilibus, ea quæ mente percipiuntur, tradidit, &c. Neque in nouo Teſtamento demum hoc cœpit, ſed ab ipſa rerum origine verbi doctrinam cum ſacramentis Deus coniunxit. Adamũ certè vtroq; inſtruxit, quando ab illo obedientiam poſtulauit, ſimul verò arbores ſcientiæ & vitæ propoſuit, circa quas obedientiæ ſtudium exerceret. Lapſis autem primis parentibus ſalutis doctrinam verbo tradidit, & iiſdem ſacramenta nõ defuiſſe, Caini & Abelis ſacrificia ſatis teſtantur, quæ illos non abſque diuina traditione immolauiſſe credimus. Quòd ſi ad Abrahamum & illius progeniem tranſeas, manifeſtior res eſt, quàm vt multis euinci mereatur. Et in nouo Teſtamento vtraq; hæc Chriſtus quoq; coniunxit, quando Euangelij doctrinã Baptiſmo & Cœna myſtica obſignari voluit. Quorum conſyderatio nos officij multiuariam admonet. Agnoſcere enim debemus hanc Dei bonitatem, nec pro ſuperuacaneis faſtidire, quæ ille nobis tradidit. Vt enim qui ex Deo nati ſunt, Dei verbum audiunt: Ita verbi & promiſsionum Dei ſigilla religioſè exoſculari ſolent, per quæ omnes ſenſus in iucundiſsimam fidei contemplationem excitari ſentiunt. Præterea, quia & doctrinæ & ſacramentorum formula in ſcripturis exprimitur, nemo tantum ſibi iuris vendicet, vt in illis quicquam vel mutare, vel auferre, vel addere auſit. Paulus enim

Miniſterij eccleſiaſtici ratio & partes.
Doctrina.
Sacramenta.
Homil. in Matth. 83.
Gen.2.
Gene.4.
Gene.17.
Ioan.8.
Galat.1.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*anathema eos eſſe dicit, qui aliud euangelium prædicant. Et quàm diſpliceat Deo temerarius ſacramentorum abuſus & inordinaria adminiſtratio, non pauca tum veteris tum noui Teſtamenti exempla docent. In quorum conſyderatione ſi hodie diligentius verſaremur, doctrinam verbi procul dubio puriorem haberent eccleſiæ, & rariores eſſent de ſacramentis concertationes, quibus iam annis aliquot eccleſiæ magno cum ſcandalo commiſſæ ſunt.*

II. Baptiſmi ratio.

*Alterũ eſt, vt de Baptiſmo dicamus, cuius ratio omnibus qui per hunc Chriſto conſecrati ſunt, notiſſima eſſe debet. Dicemus autem non quæcunq; hic afferri poterant, ſed potiſſima tantum capita perſtringemus. Quid nimirum ſit Baptiſmus, quis ritus et ordo, qui baptizari debeant, quiúq; baptiſmi proprius uſus ſit.*

1. Baptiſmus quid. Matth. 28. Tit. 3.

*Ioannes baptiſmum pœnitentiæ prædicauiſſe dicitur in remiſſionem peccatorum. Et Chriſtus Euangelij miniſterium Apoſtolis commendans, ait: Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Paulus item baptiſmum lauacrum regenerationis vocauit. Poteſt ex his plena & abſoluta definitio colligi, quæ talis erit: Baptiſmus eſt actio ſacra, diuinitus inſtituta, qua in eccleſiæ album publicè inſcribimur, & qua Chriſtus beneficium noſtræ purgationis & regenerationis, remiſſionẽ item peccatorum, externo ſymbolo obſignat, noſq; noſtræ conditionis ſimul & officij admonet. Comprehendit definitio hæc quæcunq; de Baptiſmo ad noſtram inſtitutionem verè & neceſſariò dici poſſunt.*

2. Baptiſmus à Deo inſtitutus. Ioan. 1.

*Diuinitus inſtitutum dicimus Baptiſmum, eò quod Ioannes, cuius miniſterio primùm inductus eſt, Dei vocationem habuit. Et ipſe ſe ad baptizandum miſſum eſſe teſtatur. Nec credibile eſt, Chriſtum ab Ioanne baptizari voluiſſe, ſi baptiſmus abſq; Dei mandato fuiſſet inſtitutus.*

3. Baptiſmi ritus. Ioan. 1. 3. Acto. 8. 10. 16. Matth. 3.

*In ritu autem baptiſmi materia & forma conſyderanda venit. Materia, aqua eſt, & quidem communi Ioannem & Apoſtolos vſos fuiſſe conſtat. Formam Chriſtus tradit, quando baptizari iubet in nomen patris, filij & ſpiritus ſancti. Nec obſtat, quod Apoſtoli alicubi ſimpliciter in nomen domini Ieſu baptizauiſſe dicuntur. Tunc enim non de baptiſmi forma, ſed fine & ſcopo agitur, ad quem illi reſpexerunt: nimirum vt homines Chriſto conſecrarent. Quoties verò cum adultis egerunt, doctrinã præmittere ſoliti ſunt. Et Chriſtum, interea dum baptizaretur, orauiſſe legimus. Conſtat ergo perfectus baptiſmi ritus prædicatione verbi Dei, precibus, & aquæ aſperſione, iuxta formam à Chriſto traditam. Arguit hoc Papiſtas, qui ſputum, ſalem, oleum, exorciſmos & multa alia præter Chriſti inſtitutionem addiderunt. Simul & pſeudoeuangelicos confutat, qui nec Dei verbo, nec precibus intenti, ambitione, faſtu & ebrijs comeſſationibus baptiſmum impiè prophanant.*

4. Qui baptizari debeant. Gen. 17. Marc. 10. Matth. 18. 1. Cor. 7. 1. Cor. 10.

*Qui verò baptizandi ſint, ex definitione facilè patet. Quia enim ſymbolum eſt, ſiue ſacramentũ, per quod Chriſto & eccleſiæ nomen damus, ad omnes vtique pertinet, qui eccleſiæ Chriſti membra cenſentur. Deinde, quia per hunc ſua beneficia nobis Chriſtus obſignat, baptizari debent quicunque Chriſti et beneficiorum ipſius conſortes ſunt. Tales verò dicimus non adultos modò, qui Dei verbum audiunt, & fidem profitentur, verumetiam eorundem infantes, ad quos regnum Dei & Chriſtianiſmi ritum pertinere tota ſcriptura docet. Abrahamo certè dicitur: Ero Deus tuus & ſeminis tui. Quæ cauſa eſt, quòd in veteri Teſtamento infantes Deus circuncidi, & in ſuæ eccleſiæ conſortiũ cooptari voluit. Et Chriſtus paruulos regni cælorum hæredes eſſe teſtatur. Pudendus ergo eſt Anabaptiſtarum error, qui infantibus baptiſmum negant, eò quòd fidem profiteri non poſſint. Quod enim ad ſolos adultos reſtringi debebat, illi ad infantes quoq; extendunt. Quòd ſi verò literam verborum Chriſti (Quicunq; crediderit & baptizatus fuerit, &c.) vrgere volunt, quid obſecro reſpondebunt, ſi Chriſtum illic loci ſolius fidei mentionem facere, nec quicquam de illius profeſſione adijcere dicamus? Ex illorum ergo verbis & Chriſti ore ità argumentabimur: Quicunq; credunt, baptizari debent. Infantes verò credere in Chriſtum, ipſe diſertis verbis teſtatur, vbi dicit: Qui offenderit vnum ex puſillis iſtis, qui in me credunt, &c. Ergo infantes baptiſmo tingi debent. Num verò minorem negabunt, & Chriſtum mendacij arguent, eò quòd ipſi videre nequeũt, quæ nam ſit fidei in infantibus ratio? Quid item Paulo reſpondebunt, qui infantes ex impari coniugio natos, propter alterutrum parentem Chriſtianum ſanctos eſſe ſcribit? At abſque fide aliquem ſanctum eſſe impoſſibile eſt, quando ex ſolo Chriſto ſanctitas omnis manat, cui non aliter quàm per fidem inſeri poſſumus. Quid, quòd idem Paulus veteres omnes in nube & mari baptizatos fuiſſe teſtatur? At quot millia infantum in tanta multi-*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*multitudine fuiſſe putabimus, qui omnes baptiſmi typo comprehenſi fuerunt? Quæ ergo audacia eſt, deteriorem fingere eorum conditionem, qui ſub nouo Teſtamento naſcuntur, cum huius tempore vberiorem ſuæ gratiæ reuelationem Deus eſſe voluerit?*

5. Baptiſmi finis, effectus & uſus. Epheſ. 6. Pſal. 51. Rom. 4.

*Vſum & effectus baptiſmi ipſa etiam definitione comprehendimus. Vbi primum locum obtinet, quòd in eccleſiæ gremium recepti Chriſto nomen damus, vtpote ſub Crucis ſigno aduerſus ſatanam militaturi. Facit hoc ad fidei confeſsionem, qua Deus omnibus ſeculis ſuam eccleſiam à prophanis gentibus ſegregatam eſſe voluit. Deinde obſignatur nobis vniuerſa noſtræ redemptionis ratio, vt nobis tam certò conſtet animas noſtras Chriſti ſanguine purificatas, & eiuſdem ſpiritu & verbo regeneratas eſſe, quàm certum eſt corpora noſtra huius ſacri fontis aqua tincta & aſperſa eſſe. Baptiſmum ergo non minus, quàm Paulus olim Circunciſionem, ſigillum iuſtitiæ fidei dicere poſſumus. Præterea conditionis noſtræ admonemur, quòd nimirum in peccatis concepti & nati, ablutione & purificatione opus habeamus. Quam vt in Chriſto nobis baptiſmus monſtrat; Ita officij quoque admonet, quod in carnis noſtræ mortificatione, ſpiritus innouatione, innocentiæ & charitatis ſtudio potiſsimum verſatur. Vide Roman. 6. Gal. 3. &c. Horum itaq; memores, fidem Chriſto datam conſtanter tueamur, vt illius auſpicijs huius vitæ labores emenſi, tandem cum illo viuamus in cœlis, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

## HOMILIA IIII.

### Et egrediebantur ad eum tota Iudæa regio & Hieroſolymitæ, & baptizabantur omnes ab illo in Iordane flumine, confitentes peccata ſua.

Argumentum & uſus loci præſentis.

*SIcuti Deus ſalutis noſtræ rationem nobis per Verbum & ſacramenta offert: ita nos iiſdem rectè & legitimè vti vult. Nec deſunt exempla, quibus docemur, quàm grauiter omnibus ſeculis in eos animaduerterit, qui vel verbũ contemnere auſi ſunt, vel ſacramenta irreligioſius contrectarunt. Commodè ergò Marcus, poſtquam Ioannis miniſterium expoſuit, in præſenti, vt illum populus exceperit, docet. Ita enim exemplum proponit, in cuius imitatione nobis ſedulò verſandum eſt, ſi quando ſalutem nobis quoq; Deus annunciat, &c.*

Cur ad Ioannẽ egreſsi ſint. Luc. 3. Ioan. 1. Amos 7.

*Egrediebantur (inquit) ad eum tota Iudæa regio, & Hieroſolymitæ, &c. Exprimit his ardens populi ſtudium, cuius procul dubiò cauſæ variæ fuerunt. Alios enim ſerio ſalutis deſyderio excitatos fuiſſe, ex iis conſtat, quæ apud Lucam & Ioannem leguntur. Alios rurſum curioſitas & rerum nouarum ſtudium excitauit, quorum ardor incertus fuit & inconſtans. Et in Ioanne quædam concurrunt, quæ multos, vt illum audire & videre cuperent, excitare potuerunt. Prophetis enim ab inſtaurati templi temporibus per annos circiter quingentos caruerant, ita nimirum verbi ſui contemptum vlciſcente iuſto domino, qui alibi famem hanc verbi ſui minatus fuerat. Iam ergo ad Ioannem, quem prophetam eſſe ſuſpicantur, maiori ſtudio excurrunt. Deinde doctrinæ genus nouum erat & inſolens, quando Deo viam præparabat, & regnum illud Dei iam præ foribus eſſe docebat, quod prophetæ olim promiſerant, quorum doctrina ob humanas traditiones omnibus ferè erat incognita. Accedebat his vitæ auſteritas, qua multos adductos fuiſſe credibile eſt, vt doctorem hunc audire vellent. Porrò omnibus hiſce Deus ad excitandas hominum mentes vti voluit, vt electos ſuos in veritatis cognitionem pertraheret, reliquos verò, qui oblatam ſalutis doctrinam aſpernabantur, faceret inexcuſabiles. Nobis verò, priuſquam populi exemplum inſpiciamus, duo hic obſeruanda veniunt.*

Euangelium nunquam fruſtra prædicatur. Ioan. 10. Matth. 13. Luc. 8. Iſa. 55.

*Primum, quòd ingentem hominum turbam ad Ioannem excurriſſe, & ab eodem baptizatos eſſe audimus. Admonet hoc, Euangelij doctrinam nunquam abſq; fructu prædicari, etſi in mundo hoc plerique corruptiſsimi ſint. Habet enim vbique locorum aliquos ex ſuis Deus, quorum mentes illuſtrat & aperit, vt paſtoris veri vocem agnoſcant & ſequantur. Et licet inter ſeminandum aliud quidem cadat in viam & à volucribus deuoretur, aliud inter ſpinas præfocetur, aliud inter ſaxa radices agere non poſsit, eſt tamen ſemper quod bonam terram inuenit, in qua fructum fert vberrimum. Pertinet huc Iſaiæ locus, in quo Deus hoc ipſum eleganti parabola explicat, cum ait: Perinde atq; imber aut nix de cœlo deſcendit, & illò non redit, ſed irrigat terram, & parere atq; germinare*

eam facit, vt det ſerenti ſemen, & panem ad edendum: Ita erit verbum meum, quod exit de ore meo, non redibit ad me vacuũ, ſed faciet quæcunq; volo, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud. Exem-
2. Reg. 19. pla huius generis in ſcripturis paßim occurrunt. Elias certè docendo plus quàm ipſe ſperare auderet
Rom. 11. profecit, quando ſeptem millia audit eſſe in Iſraele, qui genu Baali non flexerint. Idem de corruptiſ-ſimo Ieremiæ ſeculo dicemus, ſi Danielem & reliquos inſpiciamus, quorũ opera verus Dei cultus per totum Orientem poſtea propagatus fuit. Sed ſtupendũ eſt quod hic proponitur, ſi qualis tunc temporis totius mundi, & imprimis Iudææ, conditio fuerit, conſyderes. Orbis imperium tenebat Tibe-
Luc. 3. rius, libidine & tyrannide infamis. Galilææ rex erat Herodes, homo inceſtus & palàm impius. Sacerdotij dignitas penes Annam & Caiapham fuit, ſub quorum dominio doctrinæ corruptionem ſacrorum turpis nundinatio eſt ſubſecuta. Populum ſeditioſi quorundam ſpiritus quotidie exagitabant. Attamen Ioannes non abſq; inſigni fructu ſalutis doctrinam propoſuit. Debet hoc miniſtris animum addere, ne unquam defuturos putent, qui ipſorum doctrinam audiant. Meminerint tamen iidem, non fidendum eſſe populi ad ipſos confluentis multitudini. Vt enim diuerſis affectibus homines ducuntur: ita qui carnem ſequi ſolent, mox vbi primus ille zelus deferbuit & aduerſa imminent, à recepta Veritatis doctrina turpiter deficere conſueuerunt, quod Ioannes primùm, deinde ipſe etiam Chriſtus expertus eſt.

Ioannes quoſuis uenientes recipit. Secundo loco Ioannes conſyderandus venit. Veniunt ad hunc promiſcuè omnis loci & ordinis homines. Alibi enim Sacerdotes, ſcribæ, phariſæi, publicani, & milites nominantur, qui ad illum confluxerunt. Hos verò omnes ille admittit, nec aliquem audacius & ſuperciliοſius reijcit ſiue condem-
Matth. 13. nat: ſed cum ſingulis agit, prout illorum mores & ingenia exigere videbantur. Iam tunc ergo verè illud Euangelicum omnis generis piſces attrahere cœpit, vt hinc colligamus, quæ ſemper in hiſce terris eccleſiæ facies futura ſit. Quod enim Ioannes fecit in præſenti, idipſum poſtea Chriſtus etiam ob-
Ioan. 6. ſeruauit, qui neminem ad ſe venientem foras eijcit. Nimium ergo audaces ſunt & temerarij, qui hodie in hominum conſcientias curioſius inquirunt, & ſuperſtitioſo ſcrutinio multos à verbo ſimul & ſacramentorum vſu abſterrent. Quin potius Ioannis exemplo doctrina ſyncerè proponatur: Admoneantur ſinguli ſui officij, vt intelligant religionem rem ſeriam eſſe, in qua nefas ſit aliquid vel lu-
1. Cor. 11. & 2. dere vel ſimulare. Inde verò conſcientiarum examen ſingulis relinquatur, vt ipſi ſeſe probent, quando nos aliorum corda nouiſſe impoßibile eſt. Sed præmißis iſtis, quid de populo Marcus dicat, videbimus.

I. Exeunt in deſertum. Primò exiuiſſe dicuntur in deſertum, vbi Ioannes prædicabat. Id verò ardens doctrinæ & ſalutis ſtudium denotat, maximè ſi eos ſpectes, qui in remotioribus Iudææ locis habitabant. Illi enim abſq; labore, ſumptu, incommoditate & periculo ad Ioannem excurrere nequiuerunt. Imitemur illos,
Matth. 13. quando nihil in terris verbo ſalutis pretioſius habemus. Verè enim nobilis illa margarita eſt, cuius acquirendæ cauſa facultates omnes diuendere, adeoq; abijcere conuenit. Imprimis autem videre oportet, vt ex mundo hoc exeamus, & illius ſtudijs, vtcunq; carni magnificis & ſplendidis, eccleſiam, in qua Chriſti vox ſonat, præferamus, etiamſi illa horribile & triſte deſertum videatur. Potior enim
Pſalm. 84. eſt dies vnus in atrijs domini, quàm mille alij, & melior illorum conditio, qui ad limen domus Dei deſident, quàm qui inter huius mundi voluptates in tentorijs impiorum habitant. Sed ô deteſtabilem noſtri ſeculi ſocordiam. Iudæi ex remotißimis locis per montes, per valles, per longas viarum ambages, perq; infinita pericula ad Ioannem contendunt. At nos, qui intra priuatos parietes ipſum Chriſtum in ſcripturis loquentem audire poteramus, ſupina quadam oſcitantia illum faſtidimus. Quòd ſi verò cœtus ſacri adeundi ſint, in quibus Dei verbũ prædicatur, quæ non effugia quærimus? Imò nulla tam leuis & turpis cauſa eſt, quæ non ſufficiens eſſe videatur, cuius gratia conciones ſacras negligamus. Olim quando ſuperſtitioſis cultibus conſcientiæ grauabantur, nullis vel laboribus vel ſumptibus parcebatur, nec aliqua mora nobis videbatur intolerabilis. At circa Dei verbum de laboribus, ſumptibus, temporis mora, & alijs eius generis rebus quiritari pudet neminem. Agnoſcamus hanc carnis noſtræ corruptionem, & eandem frequenti verbi ſtudio corrigamus.

II. Baptizantur in Iordane. Secundò baptizantur in Iordane. Facit hoc ad fidei confeßionem, & memorabile eſt obedientiæ exemplum. Multa enim erant, quæ quò minus hoc facerent, illos abſterrere poterant. Periculi plenum erat, fidem & religionem nouam amplecti & profiteri, quæ nondum publica authoritate recepta eſſet,

ptaeſſet. Præterea baptiſmi ſymbolum ijs leue & ridiculum videri poterat, qui ceremonijs magni-
ficis & ſumptuoſis hucuſq; aſſueuerat. Idem ſanè obijcere licuiſſet, quod olim Naaman Syrus Eliſæo 2.Reg.5.
obiecit, iubenti vt ſe Iordanis fluuio ſepties immergeret. Dicerent enim: Quid obſecro Iordanis aqua
ad ſalutem vtilitatis conferat? Num aqua nos Deo commendat? Vel, an non domi aquam inuenire
licebat, qua tingeremur? Quin nos totos ipſi in flumina quæuis obuia immergimus? Sed omiſsis iſtis,
ad dei mandatum reſpiciunt, quod & contra periculi metum animos illorum confirmauit, & huma-
nis rationibus aditum præcluſit omnem. Imitati ſunt hos poſtea, quibus Petrus, vt in Chriſtum ba-
ptizarentur, mandauit. Imitemur nos quoq;, neq; nos corā mundo prauo & adultero Chriſti & ver- Actorum 2.
bi ipſius pudeat, nec quicquam eorum inutile putemus & ſuperuacaneum, quæ ille noſtræ fidei fouen
dæ & confirmandæ cauſa inſtituit.

Tertiò, peccata ſua confeſsi eſſe dicuntur. Quem locum ad auricularem confeſsionem Papiſtæ III. Confi-
detorquent. Sed facilis eſt ad illorum argumentum reſponſio. Primò enim, cui nam peccata confeſsi tentur pecca
ſint, minimè exprimitur, nec vnquam euinci poterit, illos ſingulorum peccatorum curioſa enumera- ta ſua.
tione vſos fuiſſe, qualis in Papatu exigitur. Quòd ſi verò demus, illos Ioanni confeſſos fuiſſe, tamen
ne hoc quidem aliquid ad auricularis Confeſsionis defenſionem faciet, cuius nullum in ſcripturis ſpe-
cimen vſpiam habetur. Publica enim hæc fuit, & præſenti tantum negotio inſeruiuit. Prædicabat
ſiquidem Ioannes pœnitentiam, & diuini iudicij ſecurim ad arboris radicem poſitam eſſe clamabat,
Remiſsionem verò peccatorum in Chriſto monſtrabat, vnico & vero Dei agno, qui ſolus mundi pec- Ioan.1.
cata tollit. Huic per baptiſmum credentes conſecrari & initiari volebat. Quotquot ergo illius conſi-
lium admiſerunt, & baptizati ſunt, hoc ipſo facto ſe peccatores eſſe & ablutione, per Chriſtum opus
habere confitebantur. Niſi enim ſe peccatores eſſe agnouiſſent, nunquam vel baptiſmum admittere,
vel ab Ioanne conſilium vitæ in melius commutandæ petere voluiſſent, quod illos feciſſe conſtat.
Eadem ergo hæc confeſsio fuit, qualis Hieroſolymitanorum, qui ad Petri concionem animis com- Lucæ 3.
puncti, quid facerent interrogarunt: & Epheſiorum, qui libros magicos poſt auditam Pauli concio- Act.2.& 19.
nem publicè combuſſerunt. Et horum quidem exempla nos quoq; imitari conuenit, nec pudeat pecca-
ta noſtra tum diſertis verbis, tum etiam publica emendatione ſiue reſipiſcentia confiteri.

Quia verò aduerſarij loci huius literam pro Confeſsione ſua auriculari pertinaciter vrgent, noſq; Peccatorū con-
dum illam reijcimus, omni diſciplina eccleſiæ ſublata, vitijs feneſtrā aperire clamant, paucula quæ- feſsio in ſcriptu-
dam de Confeſsione vobis dicenda erunt. Duplex traditur in ſcripturis peccatorum Confeſsio, qua- ris duplex tra-
rum altera Deo fit, altera proximo. Vtranq; verò Chriſtianis hominibus vtilem, imò neceſſariam, ditur.
eſſe teſtamur. Niſi enim peccata noſtra agnoſcamus, de eorundem remiſsione non multum ſoliciti eri
mus. Quòd ſi agnita diſsimulare libeat, de Deo nos minus rectè ſentire neceſſe eſt, quaſi ille vel no-
ſtras res ignoret, vel minus propitius ſit erga eos, qui illum peccando ſemel offenderunt. At ſi confi-
teamur peccata noſtra (inquit Apoſtolus) fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & 1.Ioan.1.
emundet nos ab omni iniquitate. Atqui ſola hæc Confeſsio in ſalutis cauſa locum habet, quæ apud
Deum peccatorum remiſsionem quærit. Exercent hanc priuatim pij omnes, & eandē publicè edunt,
quando in cœtibus ſacris congregati, coram Deo ſe peccatores eſſe queruntur, & eiuſdem miſericor-
diam ſupplices implorant. Inſeruiuit huic olim anniuerſarium illud ſacrum, de quo Leuitici 16.cap.
habetur. Et frequentiſsimum ſemper illius in Eccleſia vſum fuiſſe, omnes hiſtoriæ docent.

At quæ apud proximum fit peccati Confeſsio, reconciliationis cauſa fieri conſueuit, & propter
quotidianas offenſas, quibus amicitiæ turbari ſolent, cumprimis neceſſaria eſt. Conſtat enim nec ſa-
cra nec preces noſtras Deo gratas eſſe, niſi cum fratribus nobis probè conueniat. De hac Iacobus ſcri- Matth.5.
bens, ait: Confitemini alterutrum τὰ παραπτώματα, id eſt, delicta, offenſas ſiue errores veſtros. Iacob.5.
Quem locum Papiſtæ non minus ineptè quàm hunc præſentem pro ſua Confeſsione allegant. Viden-
tibus enim oculis videre nolunt, mutuam illic Confeſsionem delictorum requiri, propter quæ amici-
tiæ interdum reſcindi ſolent. Sed apertior eſt illorum impudentia, quàm vt multis refutari de-
beat. Sufficiat modò, præter duo hæc Confeſsionis peccatorum genera, nullum in ſcripturis vſpiam
tradi.

Porrò auricularis Confeſsio ex veteri conſuetudine, quæ & ipſa ab hominibus bono quidem ze- De Confeſsione
lo, ſed præter Dei mandatum introducta fuit, originem traxiſſe videtur. Nam cùm antiquitus ma- auriculari.

giſtratus Chriſtiani nulli eſſent, quorum authoritate peccantium licentia coherceretur, diſciplina quædam publica forma inſtituta fuit, cuius metu in officio retinerentur, & per quam qui aliquid deſignaſſent, eccleſiæ ſolenniter reconciliarentur, cùm prius tempus aliquod à ſacrorum communione abſtinuiſſent. Erat ad eam rem deſtinatus presbyter quidam peculiaris, quem pœnitentiam acturi accedebant, peccata fatebantur, & quid ab ipſis fieri vellet diſcebant. At quia humana erat plantatio, durabilis non fuit, & eadem, ſi retineretur, maioris mali aliquando cauſam fore, inopinus & triſtis caſus docuit. Conſtantinopoli enim matrona nobilis, dum ex presbyteri iuſſu pœnitentiam in templo publicam agit, cum illius loci diacono ſcortari deprehenſa eſt. Quod facinus in eccleſia turbas dedit graues, & multorum ora contra eccleſiæ miniſtros laxauit. Nectarius ergo Conſtantinopolitanus epiſcopus, non modò diaconum loco mouit, verumetiam ſuadentibus nonnullis, vt vnicuiq; liberum permitteret, ſecundùm quod ſibijpſi bene conſcius eſſet, ad myſteriorum communionem accedere, munus illud presbyteri pœnitentiarij ſuſtulit, & illius exemplum omnes ferè Epiſcopi apud Græcos ſecuti ſunt. Non abrogaſſet autem propter vnius delictum conſuetudinem illam Nectarius, ſi à Chriſto traditam eſſe crediciſſet. Abrogatam verò reſtituiſſet haud dubiè ſucceſſor ipſius Chryſoſtomus, ſeueriſſimus eccleſiaſticæ diſciplinæ vindex, ſi illam ſcripturis defendi poſſe nouiſſet. Sed ad Pauli conſilium reſpexerunt, qui vt ſinguli ſeipſos probent præcipit, nec miniſtro in alterius conſcientiam inquirendi ius facit. At in Græcorum eccleſijs abrogatam conſuetudinem Romani conſtantiſſimè retinuerunt, quæ nouis quotidie (vt fieri ſolet) ſuperſtitionibus accedentibus, tandem in auricularem Confeſſionem deſijt: quam cum multi ſuſpectam haberent, ab Innocentio III. circa annum à nato Chriſto 1213. publico Lateranenſis Concilij decreto confirmata eſt. Extat decretum hoc in Gregoriani decretalibus, OMNIS vtriuſque ſexus fidelis, poſtquàm ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua, ſolus, peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio ſacerdoti, & iniunctam ſibi pœnitentiam proprijs viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reuerenter ad minus in paſcha Eucharistiæ ſacramentum. Niſi fortè de proprij ſacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum. Alioqui & viuens ab ingreſſu eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura. Libuit decreti huius verba referre, vt ipſam beſtiam loquentem omnes audiant, ſimulq́; quot & quanta his abſurda inſint, penes ſemetipſos excutiant. Primò obſtringuntur hîc omnes homines, nec quenquam pro virili cuſtodita vitæ integritas defendet, quò minus arcanas quoque cordis ſui cogitationes ſacerdoti narrare cogatur. Nec id ſemel fecisse ſufficiet, ſed quotannis hoc ipſum fieri oportebit. Deinde ſolus hoc facere iubetur, ne quis pudori locus ſuperſit. Tertiò omnia peccata fateri iubent. At quis obſecro eſt, qui hoc præſtare queat, quando cor hominis prauum & inſcrutabile eſſe conſtat? Et nota ſunt illa Dauidis: Delicta quis intelligit? ab occultis meis purga me. Pſalm. 19. Quartò, confeſſionem hanc apud ſacerdotem fieri volunt, quaſi idem ille peccata remittere poſſit, cùm horum remiſſionem penes ſolum Deum eſſe, ſcriptura doceat. Quintò præcipiunt, vt iniunctam pœnitentiam proprijs viribus ſinguli adimpleant. At qui ex nobis ipſis non ſumus ad cogitandum idonei. Et Chriſtus pœnitentiam in ſuo nomine prædicari iubet. Ipſum enim dedit pater, vt nobis pœnitentiam daret & peccatorum remiſſionem. Sextò cum Pauli doctrina pugnat, quòd ipſi ſibi quoſuis à ſacrorum communione arcendi ius faciunt. Tandem pœnam ſui decreti tranſgreſſoribus ſtatuunt exemplo carentem, dum & viuos à templis arcent, & defunctos ſepulturæ honore ſpoliant. At tolerabilis videri poterat decreti huius abſurditas, niſi magis abſurda eſſent & noxia, quæ inde promanarunt. Poſſent enim infinita exempla adduci, quæ per auricularem confeſſionem matronarum & puellarum pudicitiam expugnatam, multorum opes expilatas, principum conſilia prodita, hypocriſim ſtabilitam, & Antichriſti tyrannidem quàm maximè confirmatam eſſe docent. Conſtat ergo humani ingenij figmentum eſſe, nec ſine publico ſcandalo prima illius initia in eccleſiam fuiſſe introducta. Nec eſt quòd vel diſciplinæ vel priuatæ abſolutionis ergò illam retinendam eſſe clament. Si enim miniſtri ſuum officium ſedulò faciant, ſi magiſtratus morum diſciplinam pro virili tueantur, ſi patresfamiliâs in ſuos probè intenti ſint, & inter priuatos charitas valeat Chriſtiana, mox deprehendemus periculoſis hiſce traditionibus minimè opus eſſe. Priuatam abſolutionem Dominus nuſpiam inſtituit, ſed credentibus omnibus gratuitam remiſſionem annunciare iuſſit. Licet tamen ijs, qui occulto aliquo conſcientiæ pondere premuntur, priuatim

Vide Sozomenum Eccl. hiſt. lib. 7. cap. 16.

2. Corinth. 11.

Can. Omnis utriuſq; ſexus de Confeſſione.

Ieremiæ 17.

Iſaiæ 43.
Matthæi 9.
2. Corinth. 3.
Lucæ 24.
Actorum 5.

priuatim apud miniſtros conſilium & conſolationem quærere. Licet miniſtris peccatorum remiſſionem ad ſe venientibus polliceri, ſi ſerio pœnitentiæ & fidei ſtudio affectos eſſe videant. Id verò vnicuiq; liberum relinquatur, ne aliqua neceſſitatis lege grauentur hominũ conſcientiæ. Singuli autem in ijs ſeſe exerceant, quorum in præſenti Marcus meminit, Dei verbum audiant, ſacramentis ritè vtantur, peccata ſua confiteantur Deo, & remiſſionem inuenient per Ieſum Chriſtum, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

## HOMILIA V.

**Erat autem Ioannes ueſtitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos ſuos, ueſcebaturq; locuſtis & melle ſylueſtri.**

DOminus & Saluator noſter, Ieſus Chriſtus, apud Matthæum ait: Amen dico vobis, non exortus fuit inter eos, qui è mulieribus naſcuntur, maior Ioanne Baptiſta. Præclarum ſanè encomium, & quidem veriſſimum, ſi rem ipſam æſtimes. Is enim ipſe eſt, quem prophetæ venturũ prædixerũt, qui ab vtero matris ſpiritu ſancto repletus, & à Deo miſſus fuit, vt Chriſto Saluatori viam præpararet. Huius verò encomij finis & vſus eſt, non vt in Ioanne hæreamus, ſed vt illius doctrina ad Chriſtum ritè excipiendum præparemur. Etſi enim Iudæis olim prædicarit, eadem tamen doctrina ad omnium temporum & locorum homines pertinet, quando propter ingenitam corruptionem omnibus præparatione opus eſt, qua ſalutis in Chriſto capaces reddantur. Quò Euangeliſtæ reſpexiſſe videntur, dum Ioannis hiſtoriam tanta diligentia deſcribunt. Et idem hîc præſentis loci finis & vſus eſt, quo Marcus Ioannis conuerſationem & vitæ genus comprehendit, & ſimul exemplum proponit, quo quæ optima ſit vitæ inſtituendæ ratio, admonemur.

*Argumentum & uſus præſentis loci.*
*Matth. 11.*

Priuſquàm autem verba ſingula excutiamus, obſeruandum eſt, Ioannem à pueris huic viuendi rationi & diſciplinæ aſſueuiſſe. Docet hoc Lucas, quando ait: Puer creſcebat, & corroborabatur ſpiritu, ET ERAT IN DESERTIS, donec veniret dies, quo manifeſtandus erat apud Iſraelitas. Vt ergo prædicandi munus non ante aggreſſus eſt, priuſquàm à Domino vocaretur: Ita pueritiam & iuuentutem omnem ijs ſtudijs conſecrauit, quæ ipſius vocationem aliquando iuuare, & in illa verſanti authoritatem conciliare poterant. Eſt hoc memorabile inſtitutionis & diſciplinæ liberorum exemplum, in quo Ioannémne magis quàm ipſius parentes mireris, incertum eſt. Fuerunt enim hi generis ſacerdotalis nobilitate, functionis publicæ dignitate, & proinde opibus & honoribus inſignes. Et cum ob ſterilitatem diu liberis caruiſſent, tandem aſſiduis precibus filium hunc à Domino impetrauerunt, quem ob multas cauſas chariſſimum habere debebant. Præter illud enim, quòd in ſenectute illis natus fuerat, & vix dum natus præclara dederat virtutis ſpecimina, illum rebus maximis & ad publicam ſalutem pertinentibus deſtinatum eſſe, ex angelo didicerant. Attamen & illi hunc diſciplinæ tam auſteræ conſecrant, & ipſe eandem non grauatim recipit. Cauſa vtrinq; fuit, fidei obedientia, quæ illos, contemptis carnis rationibus, in Dei voluntatem, quam angelus manifeſtarat, reſpicere docuit. Simile exemplum in Samuele & ipſius parentibus habes. Etſi verò non omnes ad eandem vitæ rationem aſtringi debeant, parentum tamen fuerit, in liberorum inſtitutione primam Dei & religionis curam habere. Nam & Dei donum ſunt liberi, & religio præcipuus ille finis eſt, ad quem omnes conditi ſumus. Quia autem ab illa ob ingenitam corruptæ naturæ peruerſitatem abhorremus, à teneris nos inſtitui & aſſuefieri neceſſe eſt. Obſeruauit hoc, ipſo Deo teſte, pater credentium Abraham. Et eódem pertinent, quæ in lege de primogenitis Deo conſecrandis, & liberis in Dei & operum ipſius cognitione inſtituendis traduntur. Sed ô infelicem noſtri ſeculi conditionem. Qui liberos ſuos Deo & Eccleſiæ conſecrent, pauciſſimi ſunt inter eos, quorum fortunis deus benedixit. Interim ijdem illi ſolis opibus & honoribus intenti, liberos quoad religionem facilè negligunt. Imò multi illos à teneris annis ad res leuiſſimas, faſtum, luxum, gulam, impoſturas & alia magis noxia aſſuefaciunt. Conferunt huc operam ſuam ludimagiſtri, qui impuris prælectionibus & Comœdijs impudicis puerorum animos ad libidinem inflammant. Ita verò Chriſti iudicium incurrunt, quo ille horrendum illud Væ ſcandalorum authoribus denunciat. Vide Matth. 18.

*Ioannis conuerſatio à pueris.*
*Lucæ 1.*
*Inſtitutionis liberorum exemplum.*
*1. Sam. 1. 2. 3.*
*Gen. 18.*
*Exod. 13.*
*Deut. 6.*

Sed ad Marci verba reuerſi, quale illud vitæ genus fuerit videamus, quod Ioannes ſecutus eſt.

Ioãnis ueſtitus. Totum hoc veſtitũ & victu comprehendit, quia in duobus hiſce animorum affectiones quàm maximè elucent. Fuit ille ex camelorum pilis contextus, non pelle integra conſtans, qualem inepti pictores finxerunt. De forma nihil dicitur, quæ procul dubio vulgaris & vſitata fuit, ſicuti materia quoque
2.Reg.1. in deſerto agentibus probè conueniebat. Veſtem hanc zona aſtrinxit coriacea, quali Eliam quoque vſum fuiſſe legimus. Fuit enim apud veteres, eò quòd veſtibus laxioribus vterentur, plurimus zonarum vſus, & qui vel diſcincti vel malè cincti incedebant, pro effœminatis & luxu perditis notabantur. Notum enim eſt illud Syllæ dictatoris, quo Cæſarem puerum adhuc perſtrinxit: Caue tibi Ro-
Iſaiæ 22.45. ma à puero malè cincto. Quia autem zona ſimul dignitatis tum regiæ tum militaris inſigne erat, ſo-
Iob 12. lebant ambitioſi & faſtu turgidi zonis aut baltheis pretioſis & mollioribus vti. Ioannes ergo vt veſtitu, ita zona quoque frugalitatis exemplum præbuit, ſeq; ab omni mollitie alienum, ad obeunda autem ſuæ functionis officia accinctum & paratum eſſe, teſtatus eſt, iuxta illud Chriſti: Sint lumbi veſtri accincti, &c. Luc. 12.

Ioãnis uictus. Similiter & victus loco, in quo verſatus eſt, conueniens fuit. Et de melle mirum non eſt, quando Syriam totam, & quidem Iudæam imprimis, mellis feraciſsimam fuiſſe conſtat, quo nomine terra melle & lacte fluens dicitur. Et in Saulis hiſtoria ſyluæ mentio fit, in cuius ſuperficie mel diffuſum erat. Quoad locuſtas, Geographi tradunt, illud animantis genus apud Orientales maius, quam in noſtris regionibus ſoleat, & cibo idoneum inueniri. Parthis certè locuſtas in delitijs eſſe Plinius tradidit. Et Æthiopes quidam tantum locuſtis fumo & ſale duratis victitare dicuntur. In lege etiam inter animalia munda, quibus veſci liceat, locuſtas vetus translatio recenſet. Vt igitur veſtitu deſertis commodo Ioannes vti voluit, ita victu etiam vulgari & in illis locis parabili contentus fuit.

1.Sam.14. — Plin. Li.6.c.30. Itẽ lib.11.c.29. — Leuit.11.

Cauſæ, propter quas Ioannes uitæ genus tale delegit. Sed prodeſt, imò neceſſe eſt, cauſas inſpicere, quibus Ioannes motus hoc tam auſterum vitæ genus delegit. Sunt enim, qui dum has minus obſeruant, ſe quoq; egregios Ioãnis imitatores eſſe putant, ſi & ipſi in deſertis degant, & ab hominũ commercio ſegregati, veſtitu & victu peculiari & inſolito vtantur. Quæ perſuaſio Eremitarum et Monachorũ ſuperſtitionem peperit, & inani proprij meriti fiducia multos dementauit. At nihil illis Ioannis exemplum patrocinatur. Primò enim non ipſe hoc vitæ genus elegit, ſed peculiarem Dei vocationem habuit, ſicuti ex angeli verbis colligere licet, quæ patri Zachariæ dixit: Magnus erit coram Domino, & vinum ſiceramq; non bibet, &c. Deinde non noua & inſolita fuit hæc viuendi ratio, ſed diſciplinæ Nazaræorũ, quæ in lege præſcribitur, conueniens, quã illi ſuſcipiebant, qui vel religioni & cultibus diuinis liberius vacare, vel vitæ licentiã tranſactæ pœnitentiã agere, & carnis licentiam cobercere cupiebant. Tertiò Ioannis vocationi hoc vitæ genus non parum ſeruiebat. Quia enim primus noui Teſtamenti miniſter fuit, qui nouo & inaudito docendi genere, olim promiſſum ſaluatorem, iam præſentem monſtrare, & hominum animos à legalium ceremoniarum fiducia auulſas ad Chriſtum dirigere debuit: neceſſe omnino fuit, vt [illegible] populo ſeueriori vitæ genere cõmendaretur, & tali quidem, cuius ratio ex lege Moſis (quæ non dum abrogata erat) deſumpta eſſet, ne legis aduerſarius & omnis diſciplinæ euerſor eſſe putaretur. Poſtremò huic vitæ generi adeò nihil vel ſanctitatis vel meriti tribuit Ioannes, vt ad ſui exempli imitationem neminem obſtrinxerit, ſed omnes ad Chriſtum ablegarit, cui ſe quoq; totum ſuumq; miniſterium ſubiecit. Conſtat ſanè Chriſtum & Apoſtolos aliter veſtitos inceſsiſſe, & victu vſos eſſe interdum lautiori, quod nunquam facturi fuiſſent, ſi in externis hiſce ſita eſſet vitæ Chriſtianæ perfectio.

Luc.1. — Numeri 6.

Ioannis exemplum nõ patrocinatur Monachis. Quòd ſi iſta cum Monachorum regulis conferas, planè diuerſa inuenies. Primò enim Dei vocationem nullam habent, ſed ipſi temeraria ſuperſtitione ſeſe obſtringunt, & ſæpè quam habent Dei vocationem, deſerunt. Deinde diſciplinam inſtituunt nouam, & ab Euangelij doctrina alienam, quæ ab externis hiſce Chriſtianos liberatos eſſe tradit. Adhæc nulla cauſa eſt quæ ipſos, vt iſta faciant, cogat. Poſtremò ſalutis meritum his tribuunt, & ſuam regulam profeſſos neceſsitatis lege obſtringunt, adeò vt hæc ipſorum ſtatuta violare maius nefas ſit, quàm Dei leges tranſgredi. Omitto factioſa Dominicanorum, Franciſcanorum, Benedictinorum, Bernardinorum, Ioannitarum, & alia eius generis nomina, quibus Eccleſiæ Chriſti vnitatem, adeóque ipſum Chriſtum diuellunt. Deſinant ergo ex ſanctiſsimi viri, Ioannis, exemplo ſuis erroribus patrocinium quærere.

Coloſſ.2. — Rom.14.

Etſi verò veſtitus & victus nihil in ſeſe vel ſanctitatis vel meriti habeant, laudem tamen haud

Ioannes frugalitatis & temperantiæ exemplum.

vulgarem merentur frugalitas & temperantia, quas ſuo exemplo Ioannes nobis commendat. Eſt hoc nobis eò diligentius expendendum, quòd hodie illarum loco immanem luxum & belluinum gulæ ſtudium apud omnes ordines regnare videmus. Et ſanè operæpretium fuerit ſcire quam rationem in veſtitu & victu eos, qui Chriſtum profitentur, tenere conueniat.

Veſtium ratio, uſus & abuſus. Gen. 2. & 3.

Veſtium origo ex peccato eſt. Nam primos parentes ante lapſum peccati nudos fuiſſe, nec ideò erubuiſſe, legimus. Quia enim ad Dei imaginem conditi erant, nihil in illis fuit, cuius ipſos pudere poſſet. At poſtquam in peccatum prolapſi, ſuam turpitudinem agnoſcere cœperunt, veſtitu opus fuit, qui & partes corporis inhoneſtiores tegeret, & corpus à cœli iniuria tueretur. Ideò Deus illos paradiſo eiecturus, tunicis pelliceis veſtiuit. Potiſsima igitur in veſtitu honeſtatis & neceſsitatis ratio haberi debet: quam qui negligunt, multiuariàm peccant. Primò certè pudoris ingeniti leges violant, dum vel vſum veſtium inuertunt, vel veſtitu ſuperbiunt, qui illos potius infelicis ſuæ cõditionis admonere debebat. Quod perinde eſt, ac ſi facinoroſus aliquis catenam aut laqueum quo vinctus ducitur, arrogãtius oſtentaret. Deinde latentem in carne noſtra ſuperbiam mirificè auget, & quaſi inflammat veſtium luxus, facitq́ue vt noſtræ conditionis obliti, quoſuis alios præ nobis ipſis contemnamus. Ad hæc & noſtræ ipſorũ libidini ſeruit, & alijs turpia cogitandi & cupiendi occaſionem præbet. Quò fit, vt & nobis ipſis & alijs offendiculo ſimus. Præterea animum prodit leuem, vanum, varium, mutabilem & peregrinitatis amantem, cuius ſtudium nemo vnquam bonus probauit. Poſtremò in Chriſti doctrinam ſimul & exemplum peccatur variè. Is enim de neceſſario veſtitu ſolicitos eſſe vetat, ita abunde docens, quàm illi luxus & faſtus immodicus diſpliceant. Idem nudus in cruce pendere voluit, vt innocentiæ ipſius merito veſtiremur. Quæ ergo inſania eſt, ipſius veſtitus faſtu nuditatis Chriſti meritum euacuare? Quæ item ingratitudo, Chriſtum in membris ſuis algentem & nudum conſpicere, nobis interea veſtitu luxurioſo turgentibus? Non temerè ergo in ſcripturis frequens fit veſtium mentio, & de his certas leges olim deus ferre voluit. Deut. 6. & 22. In eundem luxum prophetæ grauiter inuehuntur. Et Apoſtoli eiuſdem ſæpius meminerũt. Quæ omnia etſi filijs huius ſeculi leuicula videantur, ipſa tamen experientia docet, immodicos veſtium ſumptus rem domeſticam exhaurire, & multis cauſam eſſe, vt militiæ mercenariæ & infandis ſceleribus ſe emancipent. De Dei iudicio quid attinet dicere, quando negari non poteſt, ab eo tempore, quando Germani veſtibus peregrinis vti cœperunt, morbos quoque peregrinos inualuiſſe, & exterarum gentium ſigna in Germania viſa fuiſſe, & priſtinam illam Germanorum virtutem & libertatem maxima ex parte fuiſſe imminutam.

Matth. 6. Lucæ 12. Iſaiæ 3. Soph. 1. 1. Corinth. 11. 1. Timot. 2. 1. Pet. 3.

Victus ratio uſus & abuſus. Pſalm. 147. Lucæ 12. Prouerb. 23. Luc. 21.

Eadem eſt victus ratio, cuius finis eſt, vt neceſsitati ſeruiat, quando ſine hoc corpora noſtra ſuſtentari non poſſunt. Edendum ergo & bibendum, vt viuamus: non viuendum, vt edamus & bibamus. Imprimis autem obſeruanda hic Dei bonitas, qui ſingulis regionibus quoad victum, fideliſsimè proſpexit. Cur enim homines negligat, qui & iumentis pabulum ſuum producit, & coruorum pullos, ſe inuocantes exaudit? Hanc bonitatem nos agnoſcere decet, & diuinitus conceſsis donis temperanter cum gratiarum actione vti. Nam qui id facere negligunt, multiplici peccato ſeſe polluunt. Et primò quidem manifeſtum dei contemptum habet, ſi quis proprio & patrio victu non contentus, exoticas & peregrinas delicias quærat. Deinde ingratitudo eſt turpiſsima, in ipſius dei conſpectu ijs intemperanter abuti, quæ ex illius manu accepimus. Tertiò in deum ſimul & noſipſos peccamus, ſi & corporis & animæ vires intemperanti illorum abuſu corrumpamus, quæ vt illis fouendis ſeruirent, deus condidit. Quartò iniuſtum & iniquum eſt, Dei dona intemperantius diſsipare, quæ pauperum neceſsitati impendi debebant, & quibus ipſum Chriſtum in membris ſuis alere poteramus. Quintò non ipſa modò intemperantia per ſe peccatum eſt, verumetiam infinitis alijs peccatis feneſtram aperit, ſicuti de vino immodicè ſumpto Solomon ſapientiſsimè admonuit. Et ſanè indies experimur, per ebrietatem in immanes belluas degenerare, & in quæuis vitia turpiter prolabi eos, qui cùm ſobrij ſenſibus integris vtuntur, affectus ſuos facilè coercere poſſunt. Quantum verò rei domeſticæ ſimul & publicæ officiat gulæ ſtudium, demonſtrare non eſt opus, quando & olim potentiſsima regna luxu perijſſe hiſtoriæ docent, & hodie hac ipſa via familiæ nobiliſsimæ ad infamem egeſtatem delabuntur. In omnium certè ore verſatur, hanc noſtri ſeculi præcipuam peſtem eſſe, quàmuis interim paucos inuenire liceat, qui admonitionis Chriſti memores, ſibi à crapula caueant. Diligenter ergo in

Ioannis & huius ſimilium exemplorum conſyderatione verſemur, & in hoc ſimus ſinguli, vt à primis annis temperantiæ & modeſtiæ addicti, Deo ſeruiamus, & tandẽ in cœlos tranſlati, edamus & bibamus ad menſam Ieſu Chriſti, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternũ. Amen.

## HOMILIA VI.

**Et prædicabat, dicens: Venit is, qui fortior eſt me, poſt me: cuius non ſum idoneus ut procumbens ſoluam corrigiam calciamentorum. Ego quidem baptizaui uos aqua, ille uerò baptizabit uos ſpiritu ſancto.**

**Argumentum & uſus præſentis loci.**

QVoniam Ioannes, vt Chriſti Ieſu præcurſor eſſet, diuinitus miſſus fuit, duo potiſſimùm ſunt, quæ inter docendum tractauit. Alterum eſt, quòd hominum mentes pœnitentiæ doctrina ad Chriſtum excipiendum præparauit. Alterum, quòd de Chriſto teſtatus eſt, qualis ille agnoſci, quid in illo quæri debeat. De priori hactenus abundè dictum eſt. De ſecundo in præſenti Marcus agit, & Ioannis teſtimonium de Chriſto exponit. Qui locus eò diligentius conſyderari meretur, quòd hæc ipſa ab omnibus quoque alijs Euangeliſtis commemorantur, hanc vnam nimirum ob cauſam, quòd & veram Ieſu Chriſti cognitionem tradunt, & de eiuſdem ſeruis & eorundem miniſterio nos rectè iudicare docent.

**Occaſio præſentis de Chriſto teſtimonij. Luc. 3. Ioan. 1.**

Sed priuſquam Ioannis verba excutiamus, quæ nam illi hæc dicendi occaſio fuerit, videre oportet. Exprimit hanc Lucas hiſce verbis: Expectante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Ioanne, num ipſe eſſet ille Chriſtus, reſpondit Ioannes, dicens vniuerſis: Ego quidem aqua baptizo, &c. Et alibi ex Hieroſolymis inquiſitores, ſacerdotes & Leuitas, miſſos fuiſſe legimus, qui quis eſſet ſciſcitarentur, quibus ille hiſce verbis & ſui miniſterij rationem reddidit, & Chriſto teſtimonium tulit. Ergo peruerſum populi Iudaici, auguſtius de ipſo ſentientis, iudicium, hæc illum dicere coegit. Elucet hîc, quæ nam ſit eorum, qui in publico aliquo munere verſantur, conditio. Vt enim qui in publico ædificant, diuerſa vulgi iudicia ſubire & ferre coguntur: Ita omnibus euenit, qui vel in eccleſia vel republica verſantur. Quod adeò vulgare eſt, vt ne Chriſtus quidem communem hanc ſortem effugere potuerit. Id verò illos ad diligentiam excitare debet, ne cui iuſtam vel offendiculi, vel ſiniſtri iudicij cauſam præbeant. *(Matth. 16.)*

**Vulgi iudicium de miniſtris eccleſiæ. Marc. 6. Ioan. 6. & 19. Actor. 2. 3. Act. 14. 18.**

Imprimis tamen obſeruabis vulgi de Chriſti miniſtris iudicium, in quo nihil medij ferè reperias. Aut enim inſano laudis & honoris ſtudio ad Deos vſque euehit, quos hominès ſcire debebat, aut odioſe nimis eoſdem inſectatur & deijcit. Nunc Meſſiam eſſe ſuſpicantur, quem paulò poſt Herodis tyranni & inceſtæ meretricis inſidijs circumueniri & opprimi patiuntur. Ita Chriſtum modò regem facere inſtituunt, modò in Pilati conſpectu impijſſimè abnegant. Experti ſunt hoc ipſum Hieroſolymis Apoſtoli, quos primùm ebrietatis inſimulant, mox ob claudi ſanati miraculum pro Dijs habere incipiunt. Eadem Pauli apud Lyſtrenſes & Melitenſes fuit conditio. Nec aliud expectent qui rempublicam adminiſtrant, quos populi præceps & ſtolida leuitas vel nimis euehendo ſuperbiæ ſpiritu inebriat, & ex bonis principibus tyrannos facit: vel optimè de republica meritos leuiſſima quaq; occaſione de gradu deijcit. Exempla habes in Saule & Dauide: ſed infinita eius generis tum in ſacris tum in prophanis hiſtorijs paßim extant. Horum itaq; memores inter immodica vulgi ſtudia auream mediocritatem ſeruent. Laudibus quas ſibi tribui audiunt, non efferantur. Promiſſis magnificis non confidant. Nec item ſubitis commoti vulgi furoribus conſternentur, ſed in ſua vocatione conſtantes, vni Deo ſe & ſuam functionem probare ſtudeant, qui iiſdem præmium liberaliſſimè rependet.

**Verborum Ioannis ſenſus.**

His præmißis, ad Ioannis verba tranſeamus, quorum ſcopus ex ijs, quæ paulò antè diximus, facilè patet. Nam falſo de ſe conceptæ vulgi opinioni occurrere, & omnes Chriſto vendicare inſtituit, cuius præcurſor eſſe debebat. Ita ergo dicere videtur: Video vos tum doctrinæ meæ nouitate, tum vitæ exemplo captos, aliquid de me ſublimius cogitare, quaſi promiſſus ille Saluator ſim. Sed erratis ô boni. Quia enim aduerſariæ poteſtatis expugnatio & publica hominum redemptio vires humanis fortiores requirit, nulli mortalium Meßiæ nomen debet tribui. Is verò poſt me venit, qui

Ioan. 3.

ab æterno cum patre exiſtens, æternis temporum interuallis ante me fuerit. Chriſtus is eſt verus Deus & homo, cui omnem poteſtatem Deus pater tribuit. Huic ergo omnem Meßiæ gloriam tranſcribo, meq́ illa adeò indignum agnoſco, vt ne corrigijs quidem ipſius ſoluendis me ſufficere fatear, ſi illius maieſtas cum mea tenuitate conferatur. Ego etenim ex Dei mandato aqua baptizo, id eſt, externi ſigni miniſter ſum, nec præterea quicquam poſſum in animis hominum. Ille verò, de quo loquor, baptizabit vos ſpiritu ſancto, id eſt, ipſum ſpiritum vobis conferet, & per hunc ea in veſtris animis operabitur, quæ ad ſalutem veſtram pertinent. Alibi ignem quoque nominat, nimirum ad illud reſpiciens, quòd Chriſtus ſpiritum ſub ignis ſpecie contulit, per quem illius effectus adumbrabat, purgationem nimirum à peccatis, regenerationem, hominis totius innouationem, ardens rerum cæleſtium deſyderium, induſtriam, agilitatem, & quæcunq; alia ſunt eius generis, &c.

Quomodo de miniſterio eccleſiæ iudicari debeat.

Ita verò inter ſe & Chriſtum diſcernens Ioannes, quale noſtrum de eccleſiæ miniſterio iudicium eſſe debeat, docet. Ego quidem (inquit) baptizaui vos aqua, ille verò baptizabit vos ſpiritu ſancto & igne. Vnde quidam inter Ioannis & Chriſti baptiſmum diſcernendi occaſionem ſumpſerunt, quaſi Ioannes non einſdem baptiſmi cùm Apoſtolis miniſter fuerit. Sed multis argumentis illorum error confutari poteſt, eò maximè, quòd Chriſtus ipſe non alio quàm Ioannis baptiſmo tingi voluit. Aut ergo Ioannis baptiſmum eundem cum Chriſti & Apoſtolorum baptiſmo eſſe fateantur, aut Chriſtum non eodem nobiſcum baptiſmo initiatum fuiſſe dicant. Ita verò ipſum Chriſtum à nobis alienabunt, qui & circuncidi & baptizari voluit, vt ſe verum hominem eſſe, & eodem nobiſcum fœdere contineri doceret. Non igitur de externo Chriſti baptiſmo, ſed illius effectu Ioannes hoc loco agit, interq́; ſuum miniſterium & Chriſtum Ieſum diſtinguit, ſibi nimirum nihil præter externam verbi & ſacramenti adminiſtrationem, Chriſto autem vniuerſam gratiæ & ſpiritus ſancti operationem tribuens. Ita verò generalem regulam præſcribit, quam nos in eccleſiæ miniſterio obſeruare decet, vt nimirum externum miniſterium ab interna operatione diſcernamus, & hanc quidem agnoſcamus ſolius Dei eſſe, qui ſuo ſpiritu in hominum animis agit, illud verò ſolum ad miniſtrum referamus.

Galat. 4. 1. Cor. 4. Actor. 22. 14.

Agnoſcimus quidem ſcripturæ locutiones, quibus miniſtri parturire, generare, peccata abluere & fidem confirmare dicuntur. Sed in illis ſimul Dei gratiam agnoſcimus, qui iſta miniſtris tribuit, non quòd illa verè faciant propria ſua virtute, ſed quia verbi & ſpiritus miniſtri ſunt. Vidit hoc probè Paulus, qui etſi miniſterium ſuum aduerſus æmulos ſuos magnificè extollat, alibi tamen cum illis agens, qui miniſtris nimium addicti erant, hanc ipſam Ioannis ſententiam alijs verbis & ſimilibus illuſtrat, dicens: Ego plantaui, Apollo rigauit: ſed neq; qui plantat, neq; qui rigat eſt aliquid, ſed qui dat incrementum, Deus. Quod igitur de verbi prædicatione Paulus, & de Baptiſmo Ioannes dixit, hoc ipſum ad Cœnam domini transferamus, in qua miniſter quidem domini panem & poculum diſtribuit, at ipſe dominus in ſe credentes ſui corporis & ſanguinis merito paſcit & recreat ad vitam æternam. Quam diſtinctionem ſi probè obſeruemus, minus contentionum erit in Eccleſia, & ſua manebit miniſterio dignitas, nec tamen miniſtris & externis ſymbolis ita inhærebimus, vt quicquam Dei & ſpiritus operationi derogetur.

1. Cor. 3.

I. Sanctorum modeſtia.

In his autem ſimul obſeruanda venit Ioannis modeſtia, qua & ſe & miniſterium ſuum omnino deprimit, & à vulgo oblatum ſibi honorem reijcit, vt ſolius Chriſti gloria & authoritas emineat. Faciunt huc quæ de eodem apud Ioannem euangeliſtam cap. 1. & 3. leguntur. Imitantur hunc quotquot Chriſti ſpiritu animati, & fideles illius miniſtri ſunt. Idem certè Petrum & Ioannem in Actis feciſſe traditur, quando claudum ipſorum virtute aut pietate reſtitutum eſſe vulgus ſuſpicabatur. Et Cornelium ad pedes ſuos prolapſum idem Petrus diligenter admonet, ne quid maius homine ſibi tribuat. Paulus verò lapidari potius, quàm diuinos honores ſibi impendi voluit. Et idem Corinthiorum perſuaſionem, qua decepti à miniſtris quibuſdam denominari volebant, grauiter omnino refellit, & ad Baptiſtæ exemplum ad miniſtros nihil præter externum miniſterium pertinere, Deo autem omnem fidei & ſalutis gloriam tribui debere docet, vt qui ſolus incrementum dare poßit, & in hominum mentes ſolus poteſtatem habeat. Poſſem multa alia eius generis exempla recenſere, quæ breuitatis cauſa omitto. Interim tamen probè tenendum eſt, fideles Chriſti miniſtros, de quibus modò diximus, non inutili aut ruſtico pudore aut nimio modeſtiæ ſtudio de ſeipſis humilius quàm par ſit, eſſe locutos. Sed hæc ita ſentire & dicere iußit ſanctus ſpiritus, & ipſa rei veritas monuit.

Acto. 3. Acto. 10. Acto. 14. 1. Cor. 1. 3.

*Tanta enim eſt humanæ naturæ corruptio, vt ſi hominem nudum ſpectes, nihil inuenias, quo vel ſeipſum vel alios ſaluare poßit. Et vt in ſemetipſo nil niſi peccatum reperit, ita Dei maledictio, quæ peccati pœna eſt, paßim occurrit, adeò vt ſiue cœlum, ſiue terram ſpectet, omnes creaturas humano generi iratas eſſe videat. Eiuſmodi ergo eſt noſtræ ſalutis negotium, vt humanas vires longè exuperet, quando quoad naturæ noſtræ corruptionem, omnium hominum eadem eſt conditio, quam ſanctißimi quiq; ſemper agnouerunt, & ingenuè confeßi ſunt. Quare diuinam & infinitam eſſe oportet eius poteſtatem, qui ſaluator noſter eſſe velit. Quam in nemine alio inuenire licebit, præterquam in Ieſu Chriſto qui coæternus & conſubſtantialis Dei filius, iuxta æternum patris decretum, præſtituto tempore homo factus, peccata noſtra expiauit, & euerſo ſatanæ regno omnem poteſtatem accepit*

Matth. 28.

*in cœlo & in terris. Rectè ergo Ioannes ſolum hunc fortem illum agnoſcit, qui Saluator haberi debeat, nec aliquam gloriæ, quæ ipſi debetur, partem ſibi tranſcribi patitur. Hæc vtinam obſeruarent, qui hodie Diuis ea tribuunt, quæ in Chriſto quærenda eſſe, omnes ſcripturæ docent, & nos Diuorum honori hoſtiliter inuidere clamant, quando vni & ſoli Chriſto omnem noſtræ ſalutis gloriam vendicamus. Atqui Diuos pro electis Dei organis agnoſcimus, quos illi demum rectè colunt, qui doctrinæ ipſorum fidem habent, & vitæ exemplum, quo illi nobis præluxerunt, imitantur. Nos verò Chriſti Ieſu hoſtes dicere poteramus illos ipſos, qui illius gloriam in Creaturas transferunt, nec audiunt propheta clamantem: Ego Dominus, hoc eſt nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo, &c. Iſaiæ 42.*

II. Fidelium dignitas.
Matth. 11.

*Præterea elucet hoc loco, quanta ſit fidelium dignitas, à quibus fidei & charitatis officia Chriſtus exigit. Ioannes inter natos mulierum Chriſto teſte maximus habetur. Idem tamen quoad genitam naturam indignus eſt, qui Chriſti corrigiam ſoluat. Vt enim noſtris officijs Chriſtus non opus habet, ita noſtra ipſorum conditio longè inferior eſt, quàm vt coram illius maieſtate comparere & ſubſiſtere poßit. Idem tamen ille eos qui in ſe credunt, in eam dignitatem ſubuehit, vt illos non ſeruorum modò, ſed amicorum loco habeat, & ab ijſdem ali, veſtiri & viſitari vult, imò regni ſui & myſteriorum ipſius eoſdem diſpenſatores conſtituit. O admirabilem bonitatem: in cuius conſideratione vtinam diligentius verſarentur, qui hodie Chriſtum turpiter negant, vt inter principes huius mundi aulicos aliquem dignitatis locum obtinere poßint. Qui etſi in mundo eximij habeantur, ferè tamen infelicem ſortiuntur exitum. At qui Chriſto ſeruiunt, mortalium quidem abiectißimi ſunt in hoc ſeculo, tandem verò in beatorum ſedes translati, æternum cum Chriſto regnant. Vide Ioan. 12. 14. 17. &c.*

Ioan. 15.
Matth. 24. 25.
1. Cor. 4

III. Vnde ueri fideles agnoſcantur.

*Poſtremò communi omnium inſtitutioni ſeruit, quod de Chriſto Ioannes dicit. Si enim ille ſpiritu & igne baptizat, ſoli illi vtiq; vera Chriſti membra & cultores erunt, qui ad hunc modum baptizati, id eſt, per ſpiritum regenerati, & eiuſdem donis inſtructi, ſancto illo zeli diuini igne flagrarint. Nec enim ſpiritum ſuum in ſe credentibus Chriſtus deſieri patitur, quem niſi habeant homines, Chriſti non erunt. At efficax eſt Chriſti ſpiritus, nec ſuas uires celare ſolet, quin totos zelo gloriæ Dei inſtammat & in fidei obedientiam ſibi vendicat, quorum animis ſemel infuſus fuerit. Hi vero ſecro meminerint, qui Chriſtum nunquam non in ore habent, cùm interim nulla in illis ſpiritus Chriſti ſcintilla luceat. Feruent quidem pleriq; in mundi & peccati ſtudijs, at in ijs, quæ ad Dei gloriam & publicam eccleſiæ ſalutem faciunt, toti frigent, & ita ſe à Chriſto alienißimos eſſe teſtantur. Noſtrum fuerit, Deum patrem aßiduis precibus ſolicitare, vt ſuo ſpiritu inflammatos in regni ſui via dirigat, & eius hæredes faciat cum filio ſuo Ieſu Chriſto, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

Roman. 8.

## HOMILIA VII.

Et factum eſt in diebus illis, uenit Ieſus à Nazareth Galilææ, & baptizatus eſt ab Ioanne in Iordane. Et confeſtim cum aſcenderet ex aqua, uidit diffindi cœlos, & ſpiritum quaſi columbam deſcendentem ſuper illum. Et uox de cœlis facta eſt: Tu es filius meus, dilectus ille, in quo mihi bene complacitum eſt.

*Poſtquam*

Argumentum & uſus præſentis loci.

POſtquam Diuus Marcus res Ioannis Baptiſtæ deſcripſit, tandem ipſius Chriſti, cuius ille præcurſor fuit, hiſtoriam aggreditur. Et quia antiquitus ſacerdotes & reges publicè & ſolenniter inaugurari ſolebant, inde etiam narrandi initium facit, vt exponat, quomodo Ieſus Chriſtus, rex & ſacerdos noſter, interea dum baptizatus eſt, publico Dei patris & ſpiritus ſancti teſtimonio orbi manifeſtatus, adeoq; conſecratus fuerit. Qui locus paucis plenam & perfectam Chriſti cognitionem tradit, docens qualis ille tum quoad perſonæ ipſius eſſentiam, tum quoad officium, cui illum pater deſtinauit, agnoſci debeat.

Dei bonitas in filio ſuo orbi manifeſtando.

Ante omnia verò obſeruanda venit Dei bonitas, qui filium ſuum non modò incarnari, verumetiam publicè manifeſtari voluit, vt ipſius cognitione plures ſaluarentur. Facit huc quòd illa ipſa nocte, qua natus eſt, per angelum paſtoribus prædicatur, quòd in die purgationis à Simeone ſene per occultam ſpiritus ſuggeſtionem agnoſcitur, quòd Magis in Oriente per ſtellæ apparitionem, & per eoſdem toti Iudææ, adeoq; ipſi Herodi regi innoteſcit. Ita ſingulorum ingenijs & captui ſeſe Deus accommodauit, vt propenſam ipſius ad nos ſaluandum voluntatem agnoſceremus. At quia inter hæc omnia præſens hiſtoria facilè primas obtinet, operæpretium fuerit, ſingulas illius circunſtantias ex ordine conſyderare.

Luc. 2.
Matth. 2.

I. Quando Chriſtus publicè manifeſtatus ſit?
Luc. 3.

Et primò quidem à tempore Marcus orditur, dicens: Et factum eſt in diebus illis, venit Ieſus, &c. Quibus inquam diebus? Quando nimirum Ioannes in deſerto prædicauit pœnitentiam, & hominum mentes ad Chriſtum excipiendum præparauit. Sed diligentius adhuc tempus iſtud Lucas annotat, qui hæc decimo quinto Tiberij Imperatoris anno accidiſſe ſcribit, quando Iudææ præſes fuit Pontius Pilatus, vicina autem regna ab Herodis Magni poſteris adminiſtrabantur, ſacrorum verò cura penes Annam & Caiapham pontifices erat. Fuit is annus à Chriſto nato trigeſimus. Nam hunc natum eſſe conſtat anno Auguſti XLII. Regnauit is annis LVI. & proinde decimo quinto Chriſti nati anno è viuis deceſſit. Quibus ſi ex Tiberij ſucceſſoris annis quindecim adijcias, ad trigeſimum vſq; ætatis Chriſti annum peruenies. Non temere autem iſta ſpiritus ſanctus annotari voluit. Primò enim Dei bonitas commendatur, qui filium humani generis redemptorem tunc publicè manifeſtari voluit, quando in toto orbe tyrannis & impietas regnum obtinebant. Quis enim Tiberius fuerit, ex Romanorum hiſtorijs ſcimus. De Herode non opus eſt dicere, quando infra cap. 6. illius mores prolixè deſcribentur. Pontificum verò inter Iudæos tanta erat conſceleratio, vt ſoli ſufficere potuerint ad arcendam Dei gratiam. Hic verò rebus omnino collapſis præter omnem expectationem Deus ſalutem attulit, & eo exemplo nos de ſua bonitate tunc optimè ſperare iubet, quando in hominibus ſalutis ſpes nulla eſt reliqua. Deinde peculiarem conſiderationem meretur exemplum Chriſti, qui tanto tempore vocationem patris expectare voluit, etſi interea ipſi in obſcuro & ignobili loco ſub parentum pauperum imperio victus manuũ labore parandus eſſet, ſicuti ex alijs euangeliſtarum locis facilè colligitur. Simile quid in Ioanne cernitur, qui & ipſe hoc demum anno concionari cœpit, ne Dei vocationem temerè præueniret, licet iam inde ab vtero matris ſpiritu ſancto fuiſſet repletus. Ita prophetas & Apoſtolos Dei vocationẽ expectauiſſe conſtat. Et Dauid, quamuis ſe diuinitus electum ſciret, & à Samuele vnctus eſſet, regnum tamen non antè inuaſit, quàm Saule ſublato, ſibi ad hoc legitimè aditum factum eſſe videret. Imitentur exempla hæc quicunque vel in Eccleſia vel in repub. cum laude verſari volunt. Deteſtabilis enim eſt illorum præceps feſtinantia, qui priuato carnis affectu moti ad publicas functiones temerè aſpirant. Ita enim abundè teſtantur, ſe ignorare quid affectent, & proinde illud ipſum dignè adminiſtrare non poſſe.

Luc. 2.
Marc. 6.

Præterea nec illud prætereundum eſt, quòd Chriſtus manifeſtari noluit, priuſquam populus per pœnitentiæ prædicationem præparatus eſſet. Ita enim admonemur, illos demum ſalutis in Chriſto capaces eſſe, qui peccatorum cognitione territi, & ſalutis deſyderio incenſi, Chriſtum ſitire incipiunt. Nec enim fieri poteſt, vt hunc dignè excipiant, qui illum ſibi neceſſarium eſſe nondum intelligunt. Fruſtra igitur Chriſtum iactitant, qui peccatis addicti, ab ijſdem liberari nolunt.

II. Vnde Chriſtus uenerit ad Ioannem.
Luc. 1.
Ioan. 1.

At pergens in cœpta narratione Marcus, vnde Chriſtus ad Ioannem venerit docet. E Nazareth Galilææ, vbi Mariam virginem & putatitium Chriſti patrẽ, vel nutritium potius, Ioſephum, habitauiſſe, alibi traditur. Fuit hoc vile & ignobile oppidum, ſicuti verba Nathanaelis apud Ioannem teſtantur. Nam Philippo dicenti: Inuenimus Ieſum, filium Ioſeph, Nazaræum, de quo ſcripſe-

runt Moſes & prophetæ: reſpondet: Num ex Nazareth poteſt aliquid eſſe boni? Voluit autem Chriſtus patris vocationem in loco obſcuro expectare, vt ſuo exemplo doceret, loci ignobilitatem nihil obſtare, quò minus curæ ſimus Domino, qui olim quoque Abrahamum inter Chaldæos idololatras, Moſem inter oues ſui ſoceri, Dauidem apud patris gregem, Heliſæum ad aratrum, Amos inter paſtores, & Apoſtolos inter retia inuenire, & vocare potuit. Imprimis autem præſenti cauſæ ſeruit diligens hæc loci notatio. Clariſsimè enim teſtatur, nihil inter Ioannem & Chriſtum ex pacto & colluſione fraudulenta fieri potuiſſe, quando hic in Galilæa educatus, ille verò in deſertis Iudææ vitam agens, ante hunc diem Chriſtum nunquam vidit, ſed de illo, qui facie ipſi hucuſque incognitus

Ioan. 1. erat, ex occulta ſpiritus ſuggeſtione teſtimonium tulit. Faciunt huc ipſius Ioannis verba: Vidi ſpiritum deſcendentem ſpecie columbæ de cœlo, & manſit ſuper eum. ET EGO NON NOVERAM EVM. Sed qui miſit me vt baptizarem aqua, is mihi dixit: Super quem videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat ſpiritu ſancto, &c. Horum vſus eſt, vt Chriſti & ſalutis myſteria omni dolo carere intelligamus, nec illorum admittamus calumnias, qui maligno ſpiritu agitati, illa in dubium vocare audent.

III. Chriſtus ab Ioanne baptizari uoluit. Homil. 3. Matth. 3.

Quid verò cauſæ fuit, vt Ioannem Chriſtus accederet? Non alia, quàm quòd ab illo baptizari voluit: quod & factum eſſe, Euangeliſtæ docent. Atqui baptiſmo Chriſtus minimè opus habebat, quod luce clarius patebit: ſi cum illo conferas, quæ ſupra de baptiſmo diximus: & hoc ipſum Ioannes fatetur. Cum enim ad ſe venientem & baptizari volentem Ieſum occulta ſpiritus ſuggeſtione agnoſceret, mox ait: Mihi opus eſt, vt abs te baptizer, & tu venis ad me? Quare huius facti cauſam inquirere oportet, ne quid temere factum putemus. Exprimit hanc Chriſtus, quando Ioanni ad hunc modum reſpondet: Sine nunc, ſi enim decet, vt compleamus omnem iuſtitiam. Iuſtitiæ autem vocabulo Saluatoris officium, cui illum pater deſtinarat, intelligit. Ergo verborum ſenſus eſt: Omnia nunc ijs quæ de tua & mea perſona dici poterat, in hoc ſimus, vt quod vtrique diuinitus mandatum exequamur, Tu vt mihi hoc officij præſtes, miſſus es. Ego vt aſſumpta ſerui forma, humani generis redemptor ſim. Nefas ergo fuerit, hic aliquid iſtorum intermittere. Atqui huc cum primis pertinebat, vt eodem nobiſcum baptiſmo Chriſtus tingeretur. Ex eo enim patet, ipſum verè hominem factum eſſe, & eodem nobiſcum fœdere ſiue teſtamento contineri. Deinde noſtrum baptiſmum ita ſancti-

Rom. 6 ficari oportuit, vt conſtaret, nos illi conſepultos, cum eodem ad vitæ nouitatem & cœleſtis hæreditatis poſſeſsionem reſurrecturos eſſe. Adhæc ſuo exemplo eccleſiæ miniſterium & ſacramentorum vſum nobis commendare voluit. Vt ergo noſtram dignitatem in Chriſti baptiſmo videre licet: ita eiuſdem exemplo arguuntur ſacramentorum contemptores, qui illa vel pro inutilibus & ſuperuacaneis negligunt, vel ideo illis abſtinent, quòd indignos & ſæpe palàm impios illis communicare videant. Atqui Chriſtus, cum baptiſmo minimè opus haberet, baptizari tamen voluit, vt patri obſequium morem gereret. Quæ ergo impudentia eſt, homines carni & affectibus deditos ea negligere, quæ Deus noſtræ infirmitatis cauſa tradidit? Nec eſt quòd iſti fidem ſuam & perfectam Chriſti cognitionem nobis obijciant, quando Apoſtolos conſtat ijs quoque baptiſmum adhibuiſſe, quos & fide &

Acto. 8. 9. 10. ſpiritu ſancto donatos eſſe ſciebant. Vide eunuchi Æthiopis, & Pauli & Cornelij Centurionis hiſtoriam. Impudentior tamen eſt ea temeritas, qua propter peccatores Sacramenta negligunt, ne illorum ſocij & conſortes reddantur. Quaſi verò illic ſcelerum communicatio fiat, & Chriſtus militum, publicanorum & phariſæorum conſors factus ſit, quando eodem cum ipſis baptiſmo tinctus eſt.

Quid Chriſtus dum baptizatus eſt, fecerit? Lucæ 3.

Sed valeat illorum temeritas, indigna quæ pluribus confutetur. Videamus potius, quid interea fecerit Chriſtus, dum baptizatus eſt. Et Lucas quidem illum orauiſſe, Matthæus autem & Marcus confeſtim ex aqua aſcendiſſe, tradunt. Docet exemplum hoc, in ſacramentis religionem & preces requiri, quando illa per ſe non ſaluant, nec iuuant, niſi ſpiritus ſancti operatio accedat. Quare non ijſdem inhærere, ſed animis per fidem altius aſcendere oportet, vt in Chriſto ea percipiamus, quæ externis ſymbolis figurantur. Sed vtrobique peccatur hodie. Nec enim deſunt, qui inter baptiſmi actionem vaniſsimis colloquijs tempus terunt, & inde compotationum occaſiones venantur. Plerique verò alij externis ſignis atque ceremonijs ita addicti ſunt, vt ſibi ſufficere putent, ſi baptiſmo aſperſi ſunt, & Cœnæ dominicæ aliquoties communicent, nihil interim aut parum de eo ſoliciti, vt vera fide Chriſto inſerantur, & in illo vitam viuant, quæ filios Dei decere poſsit.

Reſo

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

IIII. Publica & ſolennis Chriſti inauguratio.

Reſtat vltima huius loci pars, quæ publicã & ſolennem Chriſti inaugurationẽ continet: qua opus fuit, tum vt omnes hunc ſibi ſaluatorem datum eſſe ſcirent, tum vt ipſe quoad humanam naturam, ſuæ vocationis certior eſſet. Quare multa concurrũt, quæ ſingula diligentẽ conſyderationẽ merentur.

1. Cœli ſcinduntur.

Primò ſcinduntur cœli, quod nouum & inſolitum ſpectaculum fuit. Ita verò adumbrabatur, cœleſte & diuinum negotium hic peragi, ad cuius contemplationem nos quoq; corda noſtra aperire, & omnes animi facultates proferre debeamus. Simul etiam incarnationis Chriſti fructus figuratur, cuius merito cœli nobis patefacti ſunt, quos primorum parentum lapſus præcluſerat. Exponit myſterium hoc ipſe Dominus Ioan. 1. Amen dico vobis, ab hoc tempore videbitis cœlum apertum, & angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis. Pertinent huc inſuper quæ Ioannis 14. cap. & Philip. 3. habentur.

2. Spiritus deſcendit inſtar columbæ. Actor. 2. Ioan. 3. Gene. 8. Epheſ. 2. Ioan. 6. Matth. 10. 11.

Secundò ſpiritus inſtar columbæ deſcendit, eò quòd viſibili ſigno, tum propter Ioannem, tum propter aſtantes ſpectatores opus erat, ne incertum eſſet, ad quem nam patris vox, quæ mox ſecuta eſt, referri deberet. Cur verò columbæ ſpeciem in præſenti aſſumpſit ſpiritus, qui alibi per ignẽ & aerem adumbrari voluit? Docet hæc quis ex Chriſto ad nos fructus redeat, & qualis à nobis debeat agnoſci. Nam ſi ad veteris Teſtamenti typos reſpiciamus, columba olim ex arca dimiſſa, ſub veſperam oleæ ramum attulit, quem veteribus pacis ſymbolum fuiſſe conſtat. Super Chriſtum ergo in ſpecie columbæ deſcendit ſpiritus, vt illum pacis noſtræ cum Deo authorem, adhæc mitem & benignum eſſe doceat, qui neminem rigidè reiecturus, ſed quoſuis ad ſe venientes amicè amplexurus ſit. Interim hoc ipſum officij nos admonet, vt nimirum ſub hoc Saluatore noſtro columbas imitemur, nimirum ſimplicitatis, puritatis, manſuetudinis & fidei coniugalis (qua Chriſto vnico animarum ſponſo obſtricti ſumus) ſtudio. Hæc enim in Chriſti membris ſpiritus ipſius operatur, à quibus quicunq; alieni fuerint, ne illi Chriſti nomine ſeſe indignos eſſe teſtantur.

3. Vox Dei patris. Gene. 6. Deut. 27. Pſal. 2. Iſa. 42. Matth. 11.

Tertiò vox Dei patris cœlo demittitur, qua nulla vnquàm lætior audita fuit. Olim enim triſtes illæ & terroris plenæ voces audiebantur: Non diſceptabit ſpiritus meus perpetuò cum homine, eò quòd caro eſt. Item: Pœnitet me, quòd fecerim hominem. Rurſum: Maledictus, qui non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis huius, &c. Nunc verò idem ille Deus, quaſi priorũ ſimultatum oblitus, de Chriſto homine ait: Tu es filius meus, dilectus ille, in quo mihi complacitum eſt. Vt verò viſibili præſentiæ ſpiritus ſigno, pro ſuo more, verbum quoq; Deus adhibet: Ita hoc ipſum ex veteris ſcripturæ libris deſumit, in quibus hæc ipſa diſertè leguntur. Per Dauidem enim Chriſto pater dicit: Tu es filius meus, ego hodie te genui. Et apud Iſaiam: Ecce ſeruus meus, cui innitar, in quo placata eſt anima mea. Facit hoc ad aſſerendam ſcripturarum authoritatem, & eos confutat, qui è cœlis noua quædam, & hactenus incognita, audire vellent. Hæc ipſa verò cœlitus detonare Deus voluit, vt filij ipſius cognitionem nobis non aliunde, quàm diuinitus obtingere ſciremus, iuxta illud. Nemo nouit filium niſi pater, nec patrem quiſquam nouit niſi filius, & cui filius voluerit reuelare. Sed præſtat ſingulas huius ſententiæ voces excutere.

Filius. Rom. 8. Ioan. 1. 10. 14. Rom. 1. 9.

Primùm, Tu es (inquit) filius meus. Δεικτικῶς ergo iſta pronunciat, ne incertum eſſet, de quo nam loqueretur. Filium verò vocat, non adoptionis gratia, ſecundum quam & nos Dei filij cenſemur, ſed verum & ſibi coæternum atq; conſubſtantialem filium eſſe teſtatur: cuius ſententiæ infinita paſſim in ſcripturis teſtimonia habentur. Talem verò in carne declarat, vt noſtræ adoptionis certiores reddat, ne fortè ob ingenitam carni corruptionem de illa dubitemus.

Dilectus. Epheſ. 1. Rom. 5. 8.

Deinde dilectum dicit, quod vili ipſius ſpeciei opponere videtur, ne propter hanc Deo inuiſum putaremus. Id verò & conſolationi & inſtitutioni noſtræ plurimùm ſeruit. Per dilectum enim hunc nos quoq; (vti Paulus monet) charos reddidit. Quis ergo de Dei dilectione dubitet, cuius radix atq; origo in vnigenito ipſius filio nobis ab ipſo patre monſtratur? Rurſum, quis non Deum redamare velit, qui dilectum filium ſuum pro nobis tradere dignatus eſt?

In quo mihi complacitum eſt. Rom. 1. 3. & 6. Col. 1.

His poſtremò adijcit, In quo mihi bene complacitum eſt. Quibus verbis Chriſti officium exprimitur. Propter peccatum enim omnibus nobis iraſcebatur Deus, & paſſim in creaturis omnibus iræ diuinæ ſigna conſpiciebantur. At in filio complacitum eſt patri vniuerſam plenitudinem inhabitare, & in eo reconciliare cuncta erga ſe, pacificatis per ſanguinem crucis eius, per eundem, ſiue quæ in terra ſunt, ſiue quæ in cœlis. Hæc vt in tentationibus conſolationi ſeruiunt, ita vno Chriſto

contentos eſſe docent, & in illo ſolo quærere, quæ ad noſtram ſalutem faciunt. Conſentit enim
Matth. 11. loco quicquid vſpiam in propheticis & Apoſtolicis ſcriptis de Chriſto habetur. Ipſe certè labore
Ioan. 4. 7. oneratos & ſitibundos ad ſe ſolum inuitat. Et Apoſtoli non aliud nomen ſub cœlo hominibus
Iſa. 55. eſſe clamant, per quod ſaluari poßint, præter quam Ieſum hunc, cui hoc teſtimonij ipſe pater
Acto. 4. gnatur. Enormis ergo illorum error eſt, quicunque alijs medijs, quæ humana ſuperſtitio
cum patre reconciliari, & ſalutem aſſequi conantur. Mendacem enim faciunt Deum, quia
dunt in teſtimonium quod teſtificatus eſt Deus de filio ſuo, &c. Vide 1. Ioan. 5.

Trinitatis myſterium. Concluſurus eram ſermonem, ſed in portum feſtinanti ſacroſanctum adorandæ Trinitatis
ſterium occurrit, quod non verbis modò deſcribitur, verumetiam ipſis ſenſibus quodammodo
piendum proponitur. Baptizatur ab Ioanne filius. Deſcendit ſuper hunc in viſibili ſpecie
Deut. 6. ſanctus. Ac patris vox cœlitus auditur, Tu es filius meus, &c. At cum alibi Deus dicat:
Iſrael, Dominus Deus noſter, Deus vnus eſt, teneamus, Deum hunc in trinitate vnum, & in
tate trinum eſſe: vnum eſſentia, trinum perſonis, in quibus nulla inæqualitas, nihil maius
nus, nihil prius aut poſterius eſt: certa tamen & ab omni confuſione aliena diſtinctio, quæ
perſonis ſuas proprietates tribuit. Pater enim ab æterno filium generat, & hic generatur,
troq; procedit ſanctus ſpiritus. Abſtruſa ſunt carnis rationi hæc myſteria. Sed ſcripturis
1. Cor. 13. memores, nos dum in carne ſumus, ex parte duntaxat cognoſcere, & ex parte prophetare.
venerit quod perfectum eſt, tunc quod ex parte eſt, abolebitur. Cernimus nunc per ſpeculum
nigmate, tunc autem facie ad faciem. Quare omißis curioſis quæſtionibus in hoc potius ſimus,
ſto Ieſu, regi & ſacerdoti noſtro, per veram fidem inſerti, in ipſo viuamus & ſaluemur, cui
patre & ſpiritu ſancto, debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

## HOMILIA VIII.

**Et continuò ſpiritus illum expellit in deſertum, & erat illic in deſerto diebus quadraginta, & tentabatur à Satana, eratq; cum feris, & angeli miniſtrabant illi.**

Argumentum & uſus præſentis loci. AVdiuimus Ioannis Baptiſtæ de Chriſto Ieſu teſtimonia, & vt eundem Deus pater
cœleſti oraculo humani generis ſaluatorem eſſe declarauit. Sequitur, vt Chriſtus ea
cœperit, quæ ad noſtræ redemptionis negotium pertinebant. Inter quæ primùm tentationes
tur, quas cum communi hoſte ſatana congreſſus ſuſtinuit. Qui locus & Chriſtum ſatanæ
ipſius euerſorem eſſe docet, & veram contra hunc hoſtem noſtrum pugnandi rationem tradit.

Tentare quid, & quomodo tentatio accipi debeat. Priuſquam verò hiſtoriam ipſam aggrediamur, de tentationibus quædam dicenda erunt,
ijs pateat, cur Chriſtus tentari voluerit. Tentare propriè idem eſt quod de re aliqua
periculum facere, vt qualis nam ea ſit, intelligamus. At quando de homine agitur, bifariam
iſtud verbum ſcripturæ vſurpant. Primùm in bonam partem, quando nos Deus explorat,
is quales ſimus ignoret, ſed vt nos tam nobis ipſis quàm alijs cognoſcendos proponat, & tentatos
Gen. 22. probatos fidei & pietatis exempla faciat. Exemplum eius rei in Abrahamo extat, quando
Deut. 13. Iſaacum immolare iuſſus eſt. Ita per pſeudoprophetas tentare dicitur, vt fidei noſtræ
Iacob. 1. omnibus conſpicua fiat. Tentat etiā per crucem et omnis generis afflictiones, quò illuſtrior ſit
ſtra, quando inter has nihilominus ab illo intrepidi & firmi pendemus. De hoc tentationis genere
lud Apoſtoli intelligi debet: Beatus vir, qui ſuffert tentationem: quoniam cum probatus erit,
coronam vitæ. Item illud Pauli ad Rom. 5. Gloriamur in afflictionibus, ſcientes quòd afflictio
tientiam efficiat, patientia verò experientiā, experientia autem ſpem: Porrò ſpes non pudefacit.
Secundò in malam partem ſumitur, quando per diabolum ad ea ſolicitamur & impellimur, quæ cum
Dei voluntate pugnant, & damnationi æternæ ſubijciunt. Cuius generis tentationes tum in pijs,
in impijs, iuſto iudicio Deus permittit, dum illorum quidem ſaluti & gloriæ conſultum cupit (ſicut
Rom. 8. Iobis hiſtoria docet) hos verò, vbi impietatis menſurā impleuerunt, punire inſtituit. Quò illud Pauli
de efficacia erroris pertinet, quo Antichriſtus eos decepturus ſit, qui veritatē amplecti noluit. Vt igitur
impijs tentationes exitio ſunt, ita pijs eædem (ſicut & reliqua omnia) in bonum cooperantur.

Quod ſi hæc ad Chriſtum transferas, illum tentari minimè opus fuit, niſi quatenus id nobis ſeruiebat, quorum gratia homo factus eſt. Et primò quidem hoc exigebat Saluatoris officium, cui illum pater deſtinauerat. Quia enim à tentatione noſtra perditio cœperat, ab eadem quoq; ſalutis initium facere conueniebat Chriſtum, qui vt opera diaboli diſſolueret, in mundū venerat. Deinde ipſius exemplo nos in noſtris tentationibus confirmari oportuit. Ita enim conſtat, nos non primos eſſe qui tentamur, nec tentationes irati Dei argumentum eſſe, quando illis non ſanctos modò ſui nominis cultores, verumetiam dilectum ſuum filium exerceri voluit. Et huc facit, quòd ipſe ſpiritus Chriſtum in deſertum expuliſſe dicitur: bonus nimirum ille & ſanctus ſpiritus, quo repletum fuiſſe Lucas ſcribit. Cui conſolationi alia quoque accedit, quòd nimirum diaboli conatus ab homine vinci poſſe videmus. Nobis enim illū vicit Chriſtus homo, in quo ſe quoq; omnia poſſe Paulus teſtatur. Mirificè verò & hoc conſolatur, quòd hinc ſcimus, Chriſtū ijs qui tentantur ſuccurrere poſſe, vt qui noſtrarū infirmitatum ſenſu, inſtar fidelis Pontificis afficiatur. Præterea Chriſti exemplum noſtræ inſtitutioni ſeruit, & quibus armis ipſi quoque cum diabolo congredi debeamus, docet. Magnus ergo & multiplex huius hiſtoriæ vſus eſt, quam modò per ſingulas circumſtantias excutiemus.

Quare Chriſtū tentari oportuerit.
1. Ioan. 3.
Lucæ 4.
Philip. 4.
Hebr. 2. & 4.

Primùm de tempore & loco Marcus agit, & Chriſtum continuò, vt baptizatus & de ſua vocatione certior factus fuit, in deſertum, ſpiritu duce, exiuiſſe ſcribit. Exprimit his obedientiam ipſius, quando nec ad ſuos redire, nec quicquam tergiuerſari, ſed abſq; omni mora iniunctum ſibi officium aggredi voluit. Quo exemplo admonemur, nullam in Dei vocatione moram admitti, nec vllas carnis rationes audiri debere, quæ nos reuocare poſsint. Vt primùm enim illæ admittūtur, mox laqueos nectit ſatan, quibus ſub pietatis etiam prætextu retinet, ne Deo obedientiæ officium præſtemus. Non temere ergo Chriſtus alibi cuidam diſcipulorū dicenti: Domine, permitte mihi prius vt abeam, & ſepeliam patrem meum, reſpondet: Sequere me, & ſine vt mortui ſepeliant mortuos ſuos. Et rurſum alteri domeſticis ſuis prius valedicturo ait: Nemo, qui manu ſua aratro admota, reſpexerit à tergo, aptus eſt regno Dei. In quorum meditatione ſingulos priuatim & publicè multùm verſari conuenit, quando quotidie experimur, quàm multa ſint, quæ in Dei vocatione nos remorari conſueuerunt, quibus omnibus expreſſum Dei mandatum meritò anteponi debet.

Quando et ubi tentatus Chriſtus.
Matt. 8.
Luc. 9.

Simul verò noſtræ nos ſortis & conditionis Chriſtus ſuo exemplo admonet. Vt enim ille à baptiſmo mox ad tentationum palæſtram egreditur: ita quicunq; in baptiſmo Chriſto nomen dant, ſibi indeſinentes pugnas incumbere cogitent, quæ ipſis (vt Paulus ait) non aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, aduerſus mundi dominos, rectores tenebrarum huius ſeculi, aduerſus ſpirituales aſtutias ſuſtinendæ erunt. Nec enim quieſcit communis hoſtis ſatan, ſed inſtar rugientis leonis obambulans quærit quem deuoret. Facit huc & loci circumſtantia. In deſertum enim Chriſtus abit, ita docens, mundum hunc totum, quantus eſt, deſertum eſſe, in quo vndique nobis pericula inſtent, à peccatis nimirum & diabolicis ſuggeſtionibus, tyrannis item & fidei hoſtibus, qui omnibus feris truculentiores ſunt. Horum itaque memores, vigilemus ô fratres. Stulti enim reuera ſunt, qui ſecuri omnia ſibijpſis tuta pollicentur. At execrabilis illorum eſt perfidia, qui vbi Chriſto nomen dederunt, vel per impias artes, vel effrænem peccandi licentiam diaboli ſeruitio ſeſe ſubijciunt, contra quem Chriſti auſpicijs indeſinenter pugnare debebant.

Chriſtiani tentationibus exercentur.
Epheſ. 6.
1. Pet. 5.

Sed perſonas huius certaminis, ſiue antagoniſtas videamus. Inter quos primus introducitur ſatan, quem Matthæus abſolutè Tentatorem vocat, eò quòd ab ipſa mundi origine hominum ſaluti inſidiari ſolitus ſit, ſicuti primorum parentum lapſus abundè docet. In hoc autem duo obſeruanda veniunt: alterum, quando tentare cœperit: alterum quibus modis & rationibus in Chriſto tentando ſit vſus. Ad primum refertur, quòd alibi Chriſtus, poſtquam dies quadraginta ieiunauit, eſuriuiſſe, & tunc diabolum ad illum tentandum acceſsiſſe ſcribitur. Patet in eo hoſtis noſtri aſtutia, qua occaſiones ex nobis venatur, quando vel diutinis aduerſis debilitatos eſſe, vel alioqui prauis deſyderijs inflammatos, peccata eſurire & ſitire videt. Tūc enim peccandi occaſiones ſuggerit, & ſtimulos addit, quibus vt peccati cupiditatibus indulgeamus, impellit. Exempla huius aſtutiæ non hîc modò, verum etiam in primis parentibus, in Dauide multisq; alijs habemus, & in nobis ipſis quotidie experimur. Et hoc eſt, quòd nos à propria cupiditate tentari, Apoſtolus dicit, eò quòd ex illa nos circumueniendi occaſionem ſatan arripit. Id verò nos officij admonet, ne peccatorum blanditijs & prauis

Satan tentator.
Matth. 4.
Gene. 3.
Satan tentandi occaſiones ex nobis captat.
1. Sam. 11.
Iacob 1.

cogitationibus locum demus, ſiquidem hoſtis noſtri inſidias cupimus effugere.

**Tres Chriſti tentationes.** Cæterum in alterius membri expoſitione diligentiores ſunt Matthæus & Lucas, qui tres tentationes ex ordine cõmemorant: non quòd has ſolas Chriſtus ſenſerit, ſed quòd hæ præcipuæ ſunt, & ex illis reliquas omnes facilè æſtimare liceat.

**1. Diffidentia.** Prima, diffidentia eſt. Ait enim: Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Quibus verbis etſi hoc velle videatur, vt Chriſtus ſuæ diuinitatis argumentum exerat, potiſſimè tamen huc tendit, vt fidem illius euertat, & patris teſtimonium, quod nuper audiuimus, in dubium vocet. Quaſi dicat: Audiui etiam ipſe vocem, quæ te dilectum illum Dei filium eſſe pronuntiauit, & ſi illa Dei vox eſſet, de illa minimè dubitari debere, libenter faterer. At ſi præſentem tuam conditionem aſpicio, non poteſt non mihi dubia & ſuſpecta eſſe iſtius oraculi fides. Si enim Dei filius es, cur inter loca inculta & feras vitã degis? Cur pater, qui & pullis coruorum proſpicit, **Pſalm. 147. Lucæ 12.** & ſyluestribus feris pabulum producit, te tot iam diebus eſurire patitur? Vel num aliquem tam vecordem fore exiſtimas, qui te famelicum & miſerum, Dei filium eſſe credat? Niſi ergo perire & omnem apud homines authoritatem perdere vis, præſenti aliquo miraculo te Dei filium eſſe teſtare. At nullũ huic loco & tempori conuenientius erit, quàm ſi ex lapidibus hiſce panẽ facias, &c. Atqui huc tendunt iſta omnia, vt Chriſtus de patris teſtimonio dubitare incipiat, & illius fidẽ inutili & ſuperuacaneo miraculo cõfirmet: quaſi verò non maius miraculũ ſit, hominem verũ abſq; cibo naturali totis diebus quadraginta viuere, quàm lapides in panes mutare.

**2. Confidentia.** At vbi Chriſtum in fide inuictum videt, mox aliam tentationem priori contrariã profert. Nam ſubductũ in vrbem ſanctã (quò minus ſuſpectus ſit illius conatus) ſupra templi pinnam cõſtituit, & dicit illi: Si filius Dei es, præcipita te deorſum. Et quia poſtulationem hanc abſurdam & iniquam eſſe ſciebat, ſcripturas profert, quibus dolum ſuum occultet. **Pſalm. 91.** Nam ſcriptum eſt, inquit: Angelis ſuis mandabit de te, et manibus ſuis tollent te, ne impingas ad lapidem pedem tuum. Quis verò illi huius tentationis ſcopus fuerit, ex Chriſti reſponſione patet. Hic nimirum, vt patris ſui prouidentiã & paternam erga ſe curam periculo minimè neceſſario, & ſolius oſtentationis cauſa ſuſcepto, exploret. Senſus ergo verborũ eſt: Video te Dei verbo credere, & tuam hanc fidem maximopere probo. At quid crediſſe proderit, niſi fidem tuam alij quoq; agnoſcant, & quis nam ſis intelligãt? Id verò fiet, ſi in vrbe hac ſancta temetipſum ex hac templi pinna præcipites. Nec eſt quòd aliquid periculi metuas, quando ex ſcripturis nouiſti, angelos iam olim ex Dei mandato tui curam ſuſcepiſſe. Ita verò per confidentiam Chriſtum perdere conatur, cuius fidem euertere non potuerat.

**3. Cõcupiſcẽtia & faſtus mũdi.** Sed vincit etiam hoc telum Chriſtus. Quare omnes ſuas vires ſimul in vnum colligens, quicquid vſpiam in mundo eſt excellentiæ, dignitatis, gloriæ, ſplendoris atq; voluptatis, illius oculis ſubijcit, vt horum illecebris ad turpem apoſtaſiam & manifeſtam impietatem perducat. Nam ex alto monte omnia mundi regna & eorundem gloriam illi commonſtrans, ait: **Matt. 8.** Hæc omnia tibi dabo, ſi proſtratus adoraueris me. Ita vero impudentiſſimè & mundi imperium ſibi **Philip. 2.** vendicat, qui ne in porcos quidẽ ius habet, & Chriſtum, in cuius nomine omnia cæleſtiũ, terreſtrium & inferorum genua flectuntur, ad ſeruilem ſui adorationem inuitat. Poſſet multis verbis huius poſtulationis indignitas exagitari. Sed præſtat, vt potius in nos ipſos deſcendamus, & vt nos quoq; ſatan tentet expendamus. Nam iiſdẽ vijs & rationibus nos etiam hodie aggreditur. Nouit ille ſalutẽ **Rom. 10.** noſtrã ex fide pendere, quæ ſolo Dei verbo nititur. Totus ergo in hoc eſt, vt verbi veritatẽ in dubium vocet, & illius promiſſionibus fidẽ deroget: quod aduerſis vrgentibus facilè efficit, niſi animos probè obfirmemus. Tunc enim cogitationes eiuſmodi in animus noſtris excitat: Tu ne Deo propitio viuis, qui perpetuam cum egeſtate, fame, exilio, morbis & calamitatibus vndiq; incumbentibus luctã ſuſtines? Tu ne fidem hanc illi probari putas, cuius cultores tot malis ſubiacent? Accedũt his impiorum voces: Iam ne experimini quæ ſit illa fides veſtra? Hæc ne eſt euangelicarũ promiſſionum veritas? Num tandem vos miſeros eſſe, & turpiter deceptos eſſe ſentitis? Quòd ſi verò illud adhuc negatis, agedum oſtendite nobis fidei veſtræ veritatem & ipſi vobis ſuccurrite, aut apud veſtros illos doctores efficite, vt aliquo miraculo liberemini, &c. Hæc (inquam) frequenter hodie ſatan obijcit, vt fidem noſtram labefactet. Quòd ſi verò ſe minus proficere videt, confidentes reddere conatur, vt ſalutis noſtræ ſecuri, ardens illud ſtudium, quod paſſim à nobis exigitur, omittamus. Vbi ferè doctrina prouidentiæ & prædeſtinationis abutitur. At ſi nec illic cedamus, mox mundum hunc omnem contra nos armat, vt vel huius illecebris capti, vel potentia & armis territi, fidem abnegemus, & illicitis atq;

propha-

prophanis cultibus omniq́ ſcelerum genere (quorum ſeruitus illi gratiſſimus cultus eſt) polluamur. Et quantum in his omnibus poſſit, quotidiana exempla docent. Multi enim aduerſis ſuperati, deſperant, & ad illicita media conuertuntur. Multi confidentia & ſecuritate pereunt. Innumeri verò mundi illecebris, vt Circæo poculo inebriati, fidem & religionem abnegant.

Vt Chriſtus in tentationibus ſe geſſerit. — Exod. 34. 1. Reg. 19. Galat. 5. Lucæ 21. Epheſ. 5. Deut. 8. Deut. 6. Ioannis 12. Epheſ. 6.

Quare ex altera parte Chriſtum videamus, ſuo exemplo docentē, vt in tentationibus ſuperiores fieri poſſimus. Vbi etiā duo potiſſ. conſyderanda veniunt. Primò ieiunauit Chriſtus, non vt quadrageſimale ieiuniū inſtitueret, vt quidam ineptiſſimè fabulantur, ſed vt partim typis veteribus reſponderet, in quibus Moſes & Elias totidem diebus ieiunauiſſe ſcribuntur: partim ſuo exemplo ſobrietatem cōmendaret, cuius ſtudiū tum ſemper aliâs, tum tempore tentationum tum primis neceſſariū eſt. Reſiſtit enim ſpiritui caro, & quo hæc ferocior eſt, eò minus in nobis ſpiritus poteſt. At cibi viniq́ abundantia & delicijs carnē ferociorē reddi, notius eſt, quàm vt multis probari debeat. Hinc tam crebræ admonitiones, vt à crapula & luxu caueamus, quas exemplo etiam proprio Dei filius cōfirmare voluit. Deinde in omnibus congreſſibus ſolū Dei verbū profert, & fidem qua huic nititur, inſtar clypei ignitis hiſce ſatanæ telis obijcit. Nam dicenti diabolo: Si filius Dei es, dic vt hi lapides panes fiant. Reſpondet: Scriptum eſt, Non ſolo pane viuet homo, ſed omni verbo quod egreditur per os Dei. Rurſum dicenti: Si filius Dei es, præcipita te deorſum: & ſcripturas perperā alleganti, obijcit: Rurſum ſcriptum eſt, Non tentabis Dominū Deum tuum. Tandem mundi regna pollicenti, & adorationis cultum petenti, dicit: Abi ſatana. Scriptū eſt enim: Dominū Deum tuū adorabis, & illū ſolum coles. Ita verò nobis quoq́ pugnandū fuerit. Habemus quidē galeam ſalutis, Chriſtū, ſub cuius vmbra tutò degimus, quando contra illū princeps huius mundi nihil poteſt. At quia idē ille nihilominus non quieſcit, ad pugnam præparemur oportet. Arma verò ſaluberrima erunt (ſicuti Paulus monet) clypeus fidei, quæ ſola diaboli tela reſtinguere poteſt, & gladius ſpiritus, quod eſt verbū Dei. Huius ergo oracula diaboli ſuggeſtionibus opponamus, & quàm friuolæ ſint illæ, mox patebit. Coniūgamus his preces aſſiduas, & facilè omnes hoſtis noſtri inſidias atq́ conatus ſuperabimus. Poterat hîc copioſa exemplorum enumeratione in longum extendi oratio, ſed ſi verbi ſtudium precibus aſſiduis coniungamus, ſpiritus in ipſa pugna eos locos ſuggeret, quibus potiſſimùm ſatan deuinci poterit.

Tentationum Chriſti lætus exitus. — Matt. 12.

Reſtat tentationū Chriſti finis & exitus, quē lætiſſimū fuiſſe Euāgeliſtæ docent. Lucas enim diabolū ad tēpus à Chriſto receſſiſſe ſcribit. Quia enim fictitijs armis pugnat, & falſa potentiæ cuiuſdam ſpecie ſeſe venditat, mox loco cedit, vt primùm ſe agnoſci intelligit. Vbi tamen obſeruabis, quòd ad tempus modò receſſiſſe dicitur. Nam etſi ſe victum ſentiat, non tamen quieſcit, ſed leuiſſima quaque occaſione oblata pugnam inſtaurat, & hoc vnicè quærit, vt eò reuertatur, vnde prius eiectus eſt. Quòd ſi hominem ſecurum & oſcitantem reperiat, aſſumptis ſeptem alijs ſpiritibus peioribus illuc diuertit, & fiunt poſtrema illius hominis peiora primis. Nemo igitur poſt vnam et alteram victoriam ſecurus ſit, & ſibijpſi pacem perpetuam polliceatur.

Angeli Chriſto miniſtrant. — Hebr. 1. Pſal. 34. Gen. 19. & 32. Exod. 14. 32. 2. Reg. 6. Daniel. 3. 5. Act. 5. 12. &c.

Sed hîc conſoletur nos, quòd angelos Chriſto victori miniſtrauiſſe audimus. Etſi enim hoc officij Dei filio, Domino & creatori ſuo debeant, certum tamen eſt, illos nobis quoq́ miniſtros & cuſtodes diuinitus datos eſſe. Paulus enim miniſtratorios ſpiritus eſſe dicit, qui in miniſteriū emittantur propter eos, qui hæredes erunt ſalutis. Et in Pſalmis ſcribitur: Angelus Domini caſtrametatur circum eos, qui ipſum timent, & eripit eos. Nec exempla deſunt eorum, qui viſibili angelorū miniſterio adiuti & defenſi ſunt. Lotum è Sodomis eripiunt angeli. Iidem Iacobum ab auunculo Labani & Eſaui fratris armis defendunt. Aegyptum egreſſis, & terram Chanaan petentibus itinerum ſimul & belli dux eſt angelus Domini. Omitto quæ de Eliſæo, Daniele & ſocijs, Apoſtolis item & infinitis alijs paſſim traduntur. Quorum omnium conſyderatione nos in fide confirmari conuenit, vt huius noſtræ dignitatis memores, aduerſus diaboli conatus fortiter pugnemus, ne angelorum miniſterio noſmetipſos ſpoliemus, ſed potius victores in Chriſto, cum eodem in cœlis regnemus, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.

## HOMILIA IX.

Poſtquàm uerò traditus eſſet Ioannes, uenit Ieſus in Galilæam, prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: Impletū eſt tempus, & appropinquauit regnum Dei. Pœnitentiam agite, & credite in Euangelio.

Argumentum & uſus præſentis loci.

QVoniam Deus pater filium ſuum humano generi Sacerdotem & regem conſtituit, eundem priuſquam munus ſuum publicè ſubiret, præparari voluit, quò facilius ab omnibus agnoſceretur. In qua præparatione primum locum habet publica inauguratio, in qua ſpiritus ſanctus ſuper illum viſibiliter deſcendit, & eundem pater cœlitus filium ſuum & humani generis mediatorem eſſe pronuntiauit. Mox tentationes ſecutæ ſunt, quibus diabolum deuicit, & ſimul eo argumento probauit, ſe fidelem Pontificem eſſe, qui noſtras infirmitates expertus, iiſdem condolere poſſit. Sequitur, vt commiſſum à patre munus obire cœperit, à doctrina nimirum exorſus, quæ inter Sacerdotis officia primas tenet. Quo loco admonemur, quæ nam doctrinæ Chriſti ratio ſit, & qualis hodie etiã in Eccleſijs doctrina ſeruari, quomodo item audiri & recipi debeat, ſi eã nobis ſalutarẽ eſſe velimus. Et quia in his ſalus noſtra potiſsimum conſiſtit, ſingulæ huius negotij circunſtantiæ excutiendæ erunt.

I. Quando Chriſtus docere cœperit. Ioan. 1. & 3. Luc. 4.

Primò tempus notatur, poſtquam traditus fuit Ioannes, de quo pluribus ſexto cap. agitur. At qui Chriſtum priuſquam Ioannes caperetur, aliquos diſcipulos collegiſſe conſtat, quos priuatim inſtituit. At hîc de publica prædicatione agitur, qua (vt Lucas tradit) in ſynagogis palàm & promiſcuè omnibus regnum Dei annuntiauit. Nec temerè improbanda videtur Chryſoſtomi ſentẽtia, qui Chriſtum ideò ſerius cœpiſſe ait, vt & maior eſſet doctrinæ ipſius authoritas, & ſchiſmatis occaſio vitaretur, quod paulò ante inter Ioannis diſcipulos ex praua æmulatione cœperat. Vide Ioan. 3.

Sors & cõditio miniſtrorum.

Hîc verò obſeruanda venit miniſtrorum Chriſti conditio. Fuit Ioannes electum Dei organum, & ſanctiſsimus inter natos mulierum, qui hucuſq; tum doctrina tum vitæ conuerſatione, totũ ſe pro populi ſalute impendit. Is nunc traditus eſſe dicitur, nimirum in Herodis, crudeliſsimi & impuriſsimi tyranni manus. Et credibile eſt, ſanctiſsimum virum, tum Herodis ipſius, tum perfidorum quorundam inſidijs circumuentum fuiſſe, quando illum traditum fuiſſe, Marcus ſcribit. At propter liberam verbi prædicationem, & quòd tyranni inceſtum reprehenderet, hoc illi accidiſſe, Lucas perſpicuè teſtatur. Eſt hæc perpetua miniſtrorum verbi ſors, ſicuti Prophetarum & Apoſtolorum exempla docent. Quia enim mundus totus in malo conſtitutus eſt, veritatis lucem odiſſe, & eos qui hanc afferunt pertinaciter inſectari conſueuit. In cuius conſyderatione nos diligentes & crebros eſſe oportet, quò minus offendamur, ſi quid ſimile hodie etiam ijs contingit, qui ob fidele publicæ ſalutis ſtudium, honore & amore digni erant.

Lucæ 3.

Ioãni capto ſuccedit Chriſtus.

At hîc non tam obſeruatione quàm admiratione dignum eſt, quòd Ioanni ob veritatis doctrinã periclitanti Chriſtus ſuccedit, qui eandem doctrinam plenius & maiori cum profectu prædicat. Eſt hoc magnum & euidens diuinæ bonitatis argumentum, quæ nec ingratitudine huius mundi, nec tyrannorum ſæuitia ſeſe ſuperari patitur, quò minus ſalutem omnibus offerat. Impletur hîc quod ſub vineæ parabola alibi Chriſtus docet. Nam poſt prophetas indigniſsimè tractatos ab ijs, quos ſuæ eccleſiæ agricolas Deus conſtituerat, Ioannes miſſus fuit, qui pœnitentiæ fructus exigeret. Hunc captum & vinctũ Chriſtus ipſe inſequitur. Imò cùm illum etiã Iudæi reijcerent, Apoſtoli ſucceſſerunt, & ita ab eo tempore eccleſiæ ſuæ Chriſtus proſpexit, vt omnibus ſeculis miniſtros dederit, per quos veritatis cognitio propagaretur. Non eſt ergo quòd hodie miniſtrorũ cædibus vel impij gaudeant, vel pij terreantur. Nec enim eccleſiam ſuam Chriſtus vnquam negliget, quam propria vita chariorem habuit.

Matt. 21. Lucæ 20.

Miniſtri anteceſſorum ſuorũ cruce non terreantur.

Interim ſuo exemplo miniſtros fortitudinem & conſtantiam Chriſtus docet. Etſi enim docendi munus Ioanni, quoad carnis iudicium, infelicius ceſſerit, non tamen idcirco illud ipſum ſubire detrectat: veteres nimirum prophetas ſecutus, quos ſimili cõſtantia animatos fuiſſe legimus. Diſcant ergo Dei vocationem ſimiliter ſequi, qui hodie in eccleſiæ miniſterio ſunt, nec carnis rationes audiant, quæ proxima quæq; pericula cauere, nec vnquam ad Dei præcepta reſpicere conſueuit, &c.

II. Vbi Chriſtus prædicarit. Matth. 4. 9. Iſaiæ 8.

Secundò loci etiam meminit Marcus, vbi Chriſtus prædicare cœpit. Venit Ieſus, inquit, in Galilæam. Matthæus verò, illum mox relicta Nazareth, in Capernaum veniſſe, & ibi habitauiſſe ait, quam idcirco alibi Chriſti ciuitatem vocat. Cõuenit hoc prophetijs, quæ (vt Iſaias monuit) illam regionem Chriſti luce primam omnium illuſtrandam prædixerunt. Fuit inter eius oppida celeberrimum Capernaum: quod ideò primum delegit, vt cùm doctrinæ tum miraculorum ipſius fama citius & latius ad finitimos quoſq; vulgaretur. Etſi enim locos ignobiliores non faſtidiat Chriſtus, qui & Bethlehem ſuo natali, & Nazarethum ſua educacione nobilitare dignatus eſt: maiorum tamen & celebrio-

celebriorum vrbium rationem habet, vt ea occaſione veritatis cognitio ad plures diſſeminetur. Ideò poſtea diebus feſtis Hieroſolymam aſcendit, & Apoſtolis ibidem ſpiritum ſanctum eo tempore miſit, quando ex vniuerſis penè totius orbis regionibus maxima hominum multitudo illuc confluxerat. Hinc rurſum patet Dei bonitas, qui ſalutem, cuius author nobis Chriſtus eſt, nemini inuidit.

Chriſti lux ingratis nihil prodeſt.

Hîc tamen meminiſſe oportet, prærogatiuam hanc nec Capernao, nec alijs Galilææ ciuitatibus profuiſſe, ſed Chriſtum eaſdem alibi diris & horrendis execrationibus deuouiſſe, cum ingratas & contumaces experiretur. Matth. 11. Idem Hieroſolymis etiam accidiſſe, ex hiſtorijs notum eſt. Fruſtra ergo hodie Romani ſuis epiſcopis gloriantur, qui olim magna cum laude fidem Chriſti illic plantarunt, quando nulla iam Romæ veteris illius eccleſiæ veſtigia reſtant. Meminerint etiam horũ, quos hodie Deus Euangelij luce primos illuſtrare dignatus eſt. Niſi enim Dei beneficium agnoſcant, fidei fructus ferant, & vni Chriſto viuant, graues & horribiles ſuæ ingratitudinis pœnas exoluent, iuxta illud: Et multi primi erunt nouiſsimi.

III. Quid Chriſtus prædicarit.

Tertiò, ne quid Chriſtus docuerit incertum eſſet, illum Euangelium regni Dei prædicauiſſe ſcribit. At per Dei regnum non immenſa illa Dei poteſtas, qua omnibus imperat, ſed noſtræ ſalutis ratio intelligitur, quæ propter ſuum finem & effectum regnum Dei dici conſueuit. Huc enim tota tendit, vt qui ſub tenebrarum poteſtate tenebamur, transferamur in libertatem filiorum Dei, in quibus ille, quoad hîc viuimus, per verbum & ſpiritum ſuum regnet, & tandem huius ſeculi miſerijs exemptos cœleſtis & æterni ſui regni conſortes faciat. Huius regni conſequendi rationem Chriſtus tradidit, quæ tota Euangelio continetur, quod & pœnitentiæ & remiſsionis peccatorum authorem Chriſtum offert, & in eodem omnes ſalutis theſauros propinat. Faciunt hæc ad aſſerendam Euangelij dignitatem, qua omnes alias ſcientias longè vincit. Commendantur hæ ab authore, ſubiecto ſiue materia, & tradendi ratione, quam Methodum dixêre. At Euãgelij author Deus eſt, qui illud ipſum, non modò ſelectiſsimorum hominum miniſterio, ſed per filium ſuum mundo reuelare dignatus eſt. Agit autem de vera & æterna hominum ſalute, cuius ratio niſi probè nobis conſtet, non inutilia modò, ſed exitialia ſunt, quæcunq; in mundo habemus. Tradendi ratio tam ſimplex & facilis eſt, vt etiam pueris perſpicua eſſe poſsit, & ad illam percipiendam ij demum idonei ſint, qui ſuppreſſo rationis & ingenij acumine, Dei verbo ſimpliciter credere aſſueuerunt. Vtinam horum meminiſſent, qui hodie Euangelij doctrinam obſcuritatis accuſant, & eandem ab hominibus confictam, & rebus publicis pernitioſam eſſe dicunt. Merentur, quicunq; ita ſentiunt, vt eiecti ex Dei regno, ſub horribili tenebrarum poteſtate æternum pereant.

Euangelij dignitas.

Matt. 11.

IIII. Quomodo Chriſtus prædicarit.

Reſtat, vt quomodo Euangelium iſtud prædicarit, videamus. Impletum eſt (inquit) tempus, & appropinquauit regnum Dei. Pœnitentiam agite, &c. Vbi nemo putauerit, Chriſtũm inſtar phanatici cuiuſdam hinc inde diſcurrentem, hæc duntaxat verba ingeminauiſſe. Sed Euãgeliſta ſummam eorum proponit, quæ ab illo pro auditorum captu fuſius tractata ſunt. Poteſt autẽ tota Chriſti concio, duabus partibus comprehendi. Prima, regnum Dei in foribus eſſe probat. Secunda modum tradit, quo eius conſortes fieri poſsint. Quare ſingulas ex ordine inſpiciemus.

Regni Dei tempus præfinitũ.

Regnum Dei iam appropinquauiſſe docet, argumento ducto à tempore, quo illos ad ipſum ritè excipiendum hortari inſtituit, ne de re poſt multa demum ſecula euentura agi putarent. Ita verò argumentatur. Prophetæ Dei regnum & humani generis redemptionem tunc venturam prædixerunt, quãdo tempus illud præfinitum elapſum fuerit. At tempus illud impletum eſt. Ergo Dei quoq; regnum appropinquauit. His verò ad veteres promiſsiones & oracula relegat, vt illa cum præſenti rerum conditione conferentes, promiſſam ſalutem iam adeſſe intelligerent, ſeq; ad illam excipiendam totis animis præpararent. Habebant enim certa quædam oracula, quæ illos de tempore venturi Meſsiæ admonebant. Nam Iacob moriturus dixerat: Non recedet ſceptrum de Iuda, & legiſlator de pedibus eius, donec veniat Schilo (id eſt Saluator aut Soſpitator) & ad illum gentes confluent. Cuius vaticinij ſenſus eſt. Meſsiæ temporibus Iudæos & regnum & ſacerdotium amiſſuros eſſe. Daniel rurſus, Meſsiæ regnum, quod per lapidem abſque hominis manu reuulſum figuratur, ſub quarta, id eſt, Romana Monarchia, exoriturum prædixit. Et eidem angelus Gabriel certum annorum numerum indicat, poſt quos elapſos promiſſus ille Saluatot regnum Dei inſtaurare debeat. Septuaginta hebdomades (inquit) præfinitæ ſunt populo tuo & vrbi tuæ ad conſummandum

Geneſis 49.

Danielis 2.

Danielis 9.

*ſcelus, & perficiendum peccata, & expiandum iniquitatem, & ad iuſtitiam ſempiternam reducendum, & ad obſignandum viſionem & prophetas, & vngendum ſupremam Sanctitatem, &c. At hebdomades hæ, non dierum, ſed annorum ſunt, quales in lege etiam habentur, vbi de anno Iubilæo agitur. Annos ergo conſtituunt quadringentos nonaginta. Initium verò annorum iſtorum idem angelus, vrbis Hieroſolymorum inſtaurationem ſiue reſtitutionem, indicat. Quam tunc factam iudicamus, quando Ezras à Dario Longimano miſſus, ex regis mandato iudices ordinauit, & reipublicæ formam conſtituit. Factum hoc anno Darij ſeptimo, qui in annum tertium Olympiadis octuageſimæ incidit. A quo ſi ad annum Olympiadis ducenteſimæ ſecundæ quartum (quo Chriſtus in crucem ſuffixus, peccatum omne expiauit, & ſempiternam iuſtitiam reduxit, &c.) annumeres, annos habebis quadringentos nonaginta & vnum. Itaque in proximum poſt elapſas ſeptuaginta hebdomades annum, Chriſti paſſio incidit. At illo ipſo tempore Romana Monarchia florebat, & Iudæi ſceptrum ſimul & ſacerdotium amiſerant, cùm Romani præſides rerum dominarentur, & ſacerdotium venale haberent. Erant hæc vulgò notiſſima, & multi iam tum animos in ſpem Meſſiæ venturi erectos habebant, ſicuti de Simeone, Ioſepho Arimathæo, & multis alijs legimus. Horum igitur reliquos etiam omnes admonere vult Chriſtus, quando tempus iam impletum eſſe, & regnum Dei appropinquauiſſe, dicit. Iſta verò Euangelicæ doctrinæ veritatē, & noſtræ ſalutis, quæ hac traditur, certitudinem aſſerunt, ſimulq́ monent, vt ipſi etiam veterum ſcripturarum collatione fidem noſtram confirmemus.*

Leuit. 25. — Ezræ 7. — Lucæ 2. — Marci 15.

**Vt regnū Dei recipi debeat.**

*Porrò ad alteram concionis Chriſti partem tranſeamus, qua quid ipſos facere conueniat, docet, ſi regni Dei hæredes eſſe velint, dicens: Pœnitentiam agite, & credite in Euangelio. Duo requirit. Et primò quidem omne id comprehendit, quod de pœnitentia dici poteſt. Vult enim vt ad Deum uertantur cùm in fidei negotio, tum in ijs quæ ad vitæ conuerſationem faciunt. Opus hic errorum & peccatorum agnitione, eorundem confeſſione, animi contritione, & emendatione omnium quæ in Dei voluntatem peccauimus. Poterat de his copioſe diſſeri, ſed ſi in ſeipſos ſinguli deſcendant, facilè quid ipſis faciundum ſit, intelligent. Ad iſta verò fides exigitur, quæ Euangelio haberi, & intra illius limites ſeſe continere debet, ne humanæ rationis delirijs ſeducta, incertis opinionibus vagetur. Debet autem fides hæc ad vtramque Euangelij partem, pœnitentiam nimirum & peccatorum remiſſionem referri. Niſi enim ijs credamus, quæ de peccatorum atrocitate in Dei verbo traduntur, nunquam pœnitebimus. Rurſum fruſtra agnoſcemus peccata, niſi de eorundem remiſſione, quæ nobis in Chriſto parta eſt, probè ſimus perſuaſi.*

**Quæ doctrina in Eccleſijs debeat retineri.**

*Ex his patet, quæ hodie etiam in eccleſijs doctrina retineri debeat, & quæ vera ſit felicitatis conſequendæ ratio. In peccatorum cognitionem homines adduci debent, vt ſibi emendatione ſimul & remiſſione gratuita opus eſſe intelligant. Vtraque autem iuxta Euangelij doctrinam in vno Chriſto monſtretur, quem in hoc Deus conſtituit, vt nobis pœnitentiam ſimul & remiſſionem afferat. Quicunque ergo aliud Euangelium docent, audiri nō merentur, ſed anathema cenſeri debent, etiamſi angeli de cœlo ſint. Interim meminerimus, regnum Dei, quod Euangelio prædicatur, (vt Paulus ſuos Corinthios probè admonet) non in ſermone conſiſtere, ſed in virtute. Præſtemus ergo quæ Chriſtus exigit. Agamus pœnitentiam ex animo, & in Chriſti merito fiduciæ noſtræ fundamentum collocemus, vt illius ſpiritu ducti cum illo olim in cœlis regnemus, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

Actorum 5. — Galat. 1. — 1. Corinth. 4.

## HOMILIA X.

Cum ambularet autem iuxta mare Galilææ, uidit Simonem & Andream fratrem eius, iacientes retia in mare (erant enim piſcatores) & dixit eis Ieſus: Sequimini me, & faciam ut efficiamini piſcatores hominum. Ac protinus relictis retibus ſuis, ſecuti ſunt eum. Et progreſſus illinc puſillum, uidit Iacobum filium Zebedæi, & Ioannē fratrem eius, qui & ipſi in naui reconcinnabāt retia, ſtatimq́ uocauit illos. Et illi relicto patre ſuo Zebedæo in naui cum mercenarijs, ſequuti ſunt illum.

Quia

QVia homines non modò peccatores, verumetiam per peccati noxam ita corrupti ſunt, vt ſpiritus Dei & regni ipſius capaces non ſint: illos non tantum à peccatis liberari, verumetiam per æternum verbi ſemen in Dei filios regenerari oportuit. Vtriq; igitur muneri filium ſuum, Ieſum Chriſtum, Deus deſtinauit, qui & ipſe quando in terris verſatus eſt, ſalutis verbum prædicauit fideliter, & delectos quoſdam vocauit, quos poſtea veritatis cognitione et ſpiritus ſui donis inſtructos, rerum ſuarum teſtes, & Euangelij ſui præcones, atque cœleſtis huius regenerationis miniſtros conſtitueret. Quorum vocationem idcirco Euangeliſtæ deſcribunt, vt illorum exemplo edocti, de eccleſiæ & verbi miniſterio rectius iudicare poſsimus.

Argumentum & uſus præſentis loci.

Priuſquam verò hiſtoriam hanc excutiamus, obſeruanda eſt Dei bonitas, qui in nobis erudiendis & regenerandis hominum miniſterio vti dignatur: Nimirum ita noſtræ infirmitati ſeſe accommodans, quæ tremendam illam ſuæ maieſtatis vocem ſuſtinere nequit, ſicut Iſraelitarum exemplo olim probatum eſt. Mauult ergo theſaurum hunc, quo nullus pretioſior eſt, fictilibus potius vaſis committere, quàm illo nos fraudare. Turpis itaque illorum error eſt, qui cum diuite epulone doctores ex alio ſeculo ſibi dari petunt, & Dei verbum eo nomine aſpernari ſolent, quòd hominum miniſterio prædicetur, cum potius admirabilem Dei bonitatem exoſculari & amplecti deberent. Sed omiſsis iſtis, Apoſtolorum vocationem, quam in præſenti Marcus deſcribit, cum ſuis circumſtantijs conſideremus.

Deus hominum miniſterio in nobis inſtituendis utitur.
Exod. 19. & 20
2. Cor. 4.

Vbi primùm omnium occurrit, quod ab ipſo Chriſto Apoſtoli vocantur, nō vllo alicuius hominis miniſterio intercedente. Ita olim Moſem, Aaronem & pleroſq; prophetarū, immediatè ab ipſo Deo vocatos fuiſſe legimus. Quod ideo fieri oportuit, vt verbi miniſterium, non humanum inuentum, ſed diuinitus inſtitutum eſſe, omnibus certò conſtaret. Poſtea canones dati, & Eccleſiæ permiſſum fuit, vt hos ſecuta, adhibitis ſimul ſanctis precibus, miniſtros ordinaret, ſicuti Apoſtolorum ſcripta ſimul et Acta teſtantur. Nec minus pro Dei miniſtris haberi debent, qui ita vocati fuerint, quàm qui olim immediatè à Deo vocati ſunt: quando legitimè fieri, & Deo placere conſtat, quicquid iuxta ipſius verbum atq; inſtitutum fit. Quare illis etiam Chriſti ſententia ſeruit. Qui vos audit, me audit, &c. Et qui recipit quencunq; miſero, me recipit. Luc. 10. Ioan. 13.

I. Chriſtus uocat Apoſtolos.
1. Tim. 3.
Tit. 3.
Acto. 1. 13.

Porrò hîc obſeruabis, ad eccleſiæ miniſterium neminem, niſi diuinitus vocetur, accedere debere. Cùm enim homo animalis non capiat ea quæ ſunt ſpiritus Dei, nemo vtique ad munus hoc idoneus fuerit, niſi quem Deus idoneum fecerit, ſicuti Paulus docet. At non ſolet Deus dona ſua ijs largiri, qui propria temeritate, & ambitione vel priuati commodi cupiditate ducti ſeſe ingerunt: ſed ijs quos ipſe iam olim ab vtero matris ſegregauit, quiq; ipſius vocationem expectant, & eandem fideliter ſequuntur. Hinc illud Pauli: Quomodo prædicabunt, niſi miſsi fuerint? Et apud Ieremiam pſeudoprophetarum nota eſt, quòd non miſsi cucurrerint. Atqui tales non modò Dei ordinem perturbant, verumetiam ſibijpſis maximorum malorum authores ſunt. Nam & ſanguinis alieni reatu ſeſe polluunt, & ſi quando pericula incidunt, (quæ multa & grauia miniſtris accidere ſolent) propriæ etiam conſcientiæ terroribus ſimul exagitantur, nec Deum ſibi auxiliatorem fore ſperare poſſunt, cuius vocationem expectare noluerunt.

Miniſtri uocationem ſuam expectent.
1. Cor. 2.
2. Cor. 2. & 3.
Rom. 10.
Ierem. 23.

Secundo, quos & quales vocarit, videre oportet. Nominantur hic primum Simeon Petrus, & Andreas, deinde Ioannes & Iacobus, duo nimirum fratrum paria: quorum priores iam antea Chriſti cognitionem & familiaritatem quæſiuiſſe conſtat ex ijs, quæ de illis Ioannes refert. Fuerunt omnes iſti piſcatores, viles quidem & ignobiles quoad huius ſeculi conditionem, tales tamen in quibus non obſcura pietatis & virtutis argumenta eluxerunt. Nam & ſalutis veræ deſyderio (vt modò diximus) flagrarunt, & parentibus morigeri fraternam inter ſe charitatem fouerunt, & à turpi ocio alieni honeſto manuum labore victum ſibi ſuisq; pararunt.

II. Quos & quales uocarit Chriſtus.
Ioan. 1.

Hinc patet, regnum Chriſti non eſſe de hoc mundo, nec ea ratione, qua huius mundi regna ſolent, adminiſtrari. Quia enim mundi principes & reges per ſe infirmi ſunt, nec ipſi quenquam neceſſarijs vel animi vel corporis dotibus inſtruere poſſunt, eos ſibi conſiliarios & miniſtros deligant oportet, quos iam ante inſtructos eſſe vident. At Chriſtus, cuius regnum, non humana, ſed diuina ſapientia adminiſtratur, cùm in ipſas hominum mentes ius habeat, & pro ſuo arbitrio ex indoctis doctos, ex inſipientibus ſapientes, ex timidis fortes, ex rudibus & imperitis exercitatiſsimos reddere poſsit: ferè

Regnum Chriſti non eſt de hoc mundo, nec humana ſapientia propagatur

1.Corint.1.
Actor.4.

viles & nullius coram mundo authoritatis homines, imò (vt Paulus ait) qui iuxta mundum ſtulti habentur, deligit. Cauſa eius conſilij eſt, ne coram ipſo glorietur vlla caro: ſed qui gloriatur, in Domino glorietur. Facit huc, quod in Actis legimus, ſacerdotes & ſeniores Petri & aliorum Apoſtolorum libertate hoc potiſsimùm nomine obſtupuiſſe, quòd homines illiteratos & idiotas fuiſſe ſcirent. Ita verò fieri oportuit, ne quis Euangelium humana ſapientia aut potentia tam longè lateq́; propagatum putaret. Habes ergo quod hodie illis reſpondeas, quos tum miniſtrorum tum ſectatorum Euangelij vilis conditio offendit, & nobis principum atq; regum potentiam, pontificum maieſtatem, ſcholarum ſuperbos titulos, aliaq́; eius generis infinita obijciunt. Nos cum Chriſto Ieſu Deo patri gratias agimus, quòd abſconderit hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelarit ea paruulis. Vide Matth.11.

Quales ad Eccleſiæ miniſterium uocari debeant.

Interim quales ad eccleſiæ miniſterium vocari debeant, præſenti exemplo admonemur. Tribuitur enim hiſce pietatis ſtudium, vitæ honeſtas & fraterna charitas, qua coniuncti vnanimes operi ſuo intenti fuerunt. Iiſdem ergo virtutibus miniſtros inſtructos eſſe oportet, ſi cum laude ſuum officium obire velint. Quomodo enim pietatem alijs ſuadebit, qui ipſe ab illa alienus fuerit? Aut quid docendo proficiet, qui vitæ licentia & prauo exemplo miniſterium ſuum rerum adhuc ignaris ſuſpectum & inuiſum reddit? Rurſum cùm vndiq; labores, inſidiæ & pericula incumbant, fraterna animorum coniunctione opus erit, ne dum zelo prauo inter ſeſe miniſtri diſsident, communi cauſæ officiant. His omnibus rerum peritia & dicendi agendiq́; dexteritas accedant oportet, vt verbum Dei ritè ſecare, & opportunitatem omnem prudenter obſeruare poſsint. Quæ omnia ſcripturæ ſacræ cognitionem & veram ſapientiam exigunt. Nec enim eos audimus, qui Apoſtolorum exemplo abutentes, vel ipſi imparati ad docendum excurrunt, vel alios rudes & imperitos vocant. Etſi enim indoctos Chriſtus vocarit, eoſdem tamen non antea orbis doctores conſtituit, quàm ſpiritu ſancto & ſcripturarum linguarumq́; cognitione inſtructiſsimi omnibus admirationi eſſent. Huc pertinent, quæ 1. Tim.3. Tit.1. cap. habentur.

2.Timoth.2.
Matth.24.

III. Ad quid uocati Apoſtoli?
Luc.5.
Matth.13.

Tertiò ad quid & in quem finem illos vocarit, videndum erit. Faciam (inquit) vt efficiamini piſcatores hominum. Et apud Lucam Petro ait: Poſthac homines viuos capies. Vt verò iſta debeant intelligi, ipſe alibi parabola exponit, qua Euangelium reti confert, quod in mare proiectum omnis generis piſces, tam bonos quàm malos attrahit. Comprehenditur his totius miniſterij Euangelici ratio. Per mare enim mundus hic figuratur, qui maris inſtar incertis vicibus fremit atq; ſæuit, atque bonos & malos continet innumeros. Rete verò Euangelium eſt, quod promiſcuè omnibus prædicari vult Chriſtus. Quod vbi fit, tam boni quàm mali trahuntur. Nam qui ex ouium Chriſti numero ſunt, paſtoris ſui vocem mox agnoſcunt, & agnitam ſequuntur. Mali verò & impij interdum vel commodi priuati ſpe, vel alijs rationibus moti, eccleſiæ Chriſti ſeſe coniungunt, atq; fidem ore ſimulant. Interim hos omnes ſibi capi vult Chriſtus, & viuos quidem, vt nimirum ſibi viuant, qui antehac carni & mundo vixerunt. Obſeruarunt hoc diligenter admodum Apoſtoli, & vt nihil laboris atq; induſtriæ omiſerunt, vt quàm plurimos Chriſto lucrifacerent: Ita diligenter admodum cauerunt, ne quid ipſis tribueretur, ſed vniuerſa ſalutis noſtræ gloria vni ſoliq́; Chriſto cederet. Imitentur hos, quicunq; hodie Chriſti & eccleſiæ ipſius miniſtri haberi volunt, ne vel otio turpi ſeſe dedant, vel ſuam potius ipſorum, quàm Chriſti gloriam quærant. Nec enim otio locus erit, quando non minus negotij eſt, homines, natura malos & corruptos, inter huius mundi ſyrtes Chriſto vendicare, quàm grandia cete & lubrica maris monſtra ex profundiſsimis Oceani vorticibus in littus educere. Quomodo autem in hoc munere ambitioni indulgeat aliquis, quando ad illud nemo idoneus eſt, niſi qui Dei honorem & gloriam, non mundo tantùm, verùm etiam propriæ vitæ anteponere didicit?

Marc.6.
Ioan.10.

Romanus Pontifex.

Conferamus cum his Romanum illum piſcatorem, qui Petri nauiculam, retia, hamos, anulum & totum patrimonium ſibi vendicat, & facilè patebit, quis & qualis cenſeri debeat. Piſcatur quidem in hoc mundo, ſed ſibi, non Chriſto. Nam eos qui in baptiſmo Chriſto nomen dederunt, ſibi vendicat, eorum vnitatem in varias ſectas ſcindit, & ad ſalutem hoc neceſſarium eſſe docet, vt omnes homines Romanæ ſedi ſubijciantur. Deinde non tam homines piſcatur, quàm illorum fortunas, niſi quatenus homines ſuæ libidini inſeruire poſſe videt. Nec viuos Chriſto adducit quos capit, ſed ſibi totos mancipat, vt Chriſto mortui, peccatis & ſuperſtitioni viuãt. Porrò vnicum illud & ſalutare Euangelij

rum

rete per humanarum traditionũ figmenta ita diſcidit, totumq́ peruertit, vt præter inane & nudum nomen nihil ex illo reliquum eſſe videatur. Fruſtra ergo Petri titulum nobis obijciunt, nosq́ illius nauiculam deſeruiſſe clamant, quando eos omnino ſeſe præſtant, quos Petrus venturos prædixit, & vt à pijs caueantur, admonuit. 2. Pet. 2.

IIII. Vt ſeſe geſſerint Apoſtoli.

Poſtremò, vt vocati ſe geſſerint, conſyderemus. Relinquunt retia & cum his quæſtum ſuum omnem, adhæc patrem quoq; cum mercenarijs, & Chriſtum ſequuntur. Atqui præter rem domeſticam multa quoq; alia obſtare poterant, quò minus hoc facerent: inter quæ non parum momenti habuit pietatis prætextus, quam ſe patri Zebedæo debere ſciebãt. Poterat item periculi metus terrere, cùm Ioannem ob veritatis doctrinam occiſum viderent. Adhæc propriæ infirmitatis & ignobilitatis conſcientia remorari potuit, ne quid viribus ſuis excellentius tentarent. At quia fidei ſemen penes ſe habent, omnes carnis rationes facilè reijciunt.

Quomodo Apoſtoli omnia reliquerint.
Matth. 8. 9.
Ioan. 21.

Videndum tamen qua ratione ſua omnia Apoſtoli reliquerint? Nimirum ad Chriſti mandatum, vt huic inſeruirent. Interim quotieſcunq; per negotia licuit, ad ſua redierunt, donec in orbem dimiſſi, ſuis omnibus renunciare coacti ſunt. Nil ergo Apoſtolorum exemplum vel Monachis vel Anabaptiſtis patrocinatur, qui cùm nullam Dei vocationem habeant, ſua relinquunt, vagi hinc inde oberrant, & ignaui ventres ex alieno viuunt. Interim cogitemus, Apoſtolorum vocationem propter nos deſcribi, quò maior ſit apud nos doctrinæ ipſorum authoritas. Simul verò officij memores, ipſi quoq; Chriſtum vocantem ſequamur, & huic tum nos ipſos, tum alios homines (quoad fert noſtræ vocationis ratio) capere & adducere ſtudeamus, ab illo ipſo laboris & ſtudij noſtri retributionem accepturi, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

## HOMILIA XI.

Et ingrediuntur Capernaum, & ſtatim ſabbatis ingreſſus in ſynagogam docebat. Et ſtupebant ſuper doctrina eius. Erat enim docens eos, tanquam authoritate præditus, & non ſicut ſcribæ.

Argumentum & uſus præſentis loci.

QVoniam primus parens noſter Adam per peccati lapſum non modò à ſalute exciderat, verumetiam diuinum illud intellectus ſui lumen amiſerat, Deus filium ſuum, Ieſum Chriſtum, humano generi & redemptorem & doctorem conſtituit, ſicuti veteres promiſſiones & prophetarum oracula teſtantur. Quæ cauſa eſt, quòd Euangeliſtæ, non modò redemptionem, quæ per hunc facta eſt, deſcribunt, verumetiam vt ſimul doctoris officio functus ſit, diligenter commemorant. In qua parte præ alijs ſedulus eſt Marcus, dum Chriſtum docuiſſe & prædicauiſſe, ſubinde inculcat. Et ſupra quidem, quæ doctrinæ ipſius ſumma fuerit audiuimus. Cui mox diſcipulorum vocationem ſubiunxit, quorum miniſterio veritatis doctrina propagari debuit. In præſenti verò, quam in docendo rationem ſecutus ſit Chriſtus, ex ordine deſcribit. Vſus loci totius eſt, vt hinc & fidem Chriſti agnoſcamus, qua docendi munus obiuit, & ſimul diſcamus, quæ docendi ratio hodie etiam in eccleſijs retineri debeat. Quò cumprimis facit circunſtantiarum omnium expoſitio, quas ſingulatim inſpicere operæpretium fuerit.

I. Quibus prædicarit Chriſtus.

Et primò quidem cum diſcipulis Capernaum ingreſſus eſt, & illius loci ciuibus ſiue incolis prædicauit. Atqui nuper diximus, Chriſtum inter Galilææ ciuitates Capernaum cumprimis delegiſſe, in quam ſeſe, ceu peculiare domicilium reciperet. Factũ hoc, tum vt ſalutis doctrina ex vrbe celebri & frequenti citius longè lateq; propagaretur, tum quòd vrbs multis modis corruptiſſima, inſtitutione & reformatione præ alijs indigeret. Nam præter vulgaria peccata, quæ in celebrioribus & opulentis vrbibus dominari ſolent, belluina quadam ſtupiditate erga Chriſti & ſalutis myſteria laborabant: ſicuti ex ijs conijcere licet, quæ cum Chriſtus de vero animarum cibo & ſalutifera carnis & ſanguinis ſui manducatione apud illos diſſeruiſſet, acciderunt. Quanta verò eorundem in Chriſtum ingratitudo fuerit, horribiles Chriſti execrationes, quibus illos deuouit, abunde docent. Vbi nobis obſeruanda venit Dei bonitas, qui peccatores adeò non faſtidit, vt illis potiſſimum ſalutis doctrinam per filium offerat, qui & ipſe propter peccatores ſe in mundum veniſſe fatetur. Et ſanè ſi huma-

Ioan. 6.
Matth. 11.
Dei bonitas erga peccatores.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

1.Tim.1. ni generis hiſtoriam ab ipſa rerum origine repetamus, luce clarius patebit, Deum nunquam vel in
ſceleratiſsimos quoſq; ſuo iure vſum fuiſſe, ſed iudiciorum ſuorum executioni fidas admonitiones præ-
miſiſſe, quibus ad interitum ruentes in viam reuocaret. Facit hoc ipſum noſtro etiam ſeculo, & qui-
dem fideliſsimè: dum non modò per verbum ſuum admonet, verumetiam ſignis ad diligentiorem eo-
Cum hic Sermo rum, quæ ad noſtram ſalutem faciunt, conſyderationem excitat. Cometas certè nullum ſeculum plu-
haberetur, Co- res & frequentiores vidit, vt de innumeris alijs prodigijs dicere omittamus. Vbi nos meminiſſe opor-
metes appa- tet, quanta ſeueritate Deus ſuæ longanimitatis & ſuarum admonitionum contemptores puniat, vt
ruit, menſe Au- ſimul aliorum exemplis edocti, imminens Dei iudicium ſubterfugere poſsimus.
guſto. 1558.
II. Quando Secundò tempus quoq; denotans Marcus, Chriſtum ſabbatis prædicauiſſe ait, quod illum iuxta
prædicarit conſuetudinem ſuam feciſſe, Lucas teſtatur. Atqui huius conſuetudinis rationem ex lege deſumpſit.
Chriſtus. Etſi enim verbi Dei & pietatis ſtudium nunquam intermitti debeat, quia tamen ad laborem homo
Luc. 4. conditus eſt, & negotijs neceſſarijs ſubinde diſtrahimur, Deus ſuo cultui dies aliquot proprios con-
Sabbati religio ſecrauit, ſabbatum imprimis, cuius religionem in ipſa rerum origine proprio exemplo ſanciuit, & in
Gene. 2. Lege ſub capitis pœna confirmauit. Neque id abſq; cauſa aut iniuſtè fecit. Quis enim iniquum putet,
Num. 15. Deum ſeptimum quemq; diem ſibi & ſuo cultui vendicare, cum nos totos illi debeamus? Quin potius
Dei bonitatem exoſculemur, qui quietem, qua nobis ad corporum recreationem opus eſt, ſuo cultui
conſecrat, ne in turpe & exitiale otium degeneret. Vt interim de eo nihil dicamus, quòd eiuſmodi
vacationem à laboribus ipſa ſalutis ratio requirit: quando conſtat, animos in Dei & operum ipſius
contemplationem erigi non poſſe, niſi externarum & terrenarum rerum curam deponant. Hæc qui-
cunq; nō expendunt, ſe & in Deum iniquos, & propriæ ſalutis negligentes eſſe, teſtantur. Nō temere
Ierem. 17. ergo prophetæ ſabbatorum violationem inter grauiſsima ſcelera, adeoq; inter Babylonicæ captiuita-
Thren. 1. tis & excidij Iudaici cauſas connumerant. Et Chriſtus, ne quis libertatis Chriſtianæ prætextu in
Ezech. 20. hac cauſa abuteretur, ſuo exemplo ſabbatorum religionem ſtabiliuit. Neq; hic aliquis obijciat, hoc
22. 23. illum debuiſſe facere, eò quòd Lex nondum abrogata eſſet. Nam poſt huius abrogationem Apo-
ſtolos Chriſti exemplum ſecutos eſſe legimus. Et licet Eccleſia ſacram hanc quietem in diem, qui Iu-
dæorum ſabbatum proximus ſequitur, propter reſurrectionis Chriſti memoriam tranſtulerit, nun-
quam tamen eò audaciæ progreſſa eſt, vt omnino abrogandam putaret. Eandem ergo ipſi quoq; re-
ligiosè ſeruemus, & diem hunc ijs ſtudijs conſecremus, quibus illum Deus conſecrauit. Audiamus
verbum Domini, & eius ſtudio excitati, opera illius diligenter meditemur. Feriemur à carnis ope-
ribus & totos nos bonis operibus dedicemus, precibus nimirum & beneficentiæ in pauperes. Sed
incurabilem noſtri ſeculi peruerſitatem, quæ tanta eſt, vt qui Dominicis diebus opus faciunt, ſancti
haberi poſsint, ſi cum alijs conferantur, qui illos totos vel ſuperſtitioni, vel libidini, ebrietati, ſuperbiæ,
aleæ & alijs nefandiſsimis ſceleribus impendunt.
III. Vbi Chri- Porrò in Synagoga docuit Chriſtus. Erant Synagogæ domus publicæ, in quibus populus ad ver-
ſtus prædicarit bum Dei audiendum & ad preces conueniebat. Etſi enim apud ſummum illud templum duntaxat,
Synagogæ. quod Hieroſolymis erat, ſacrificare deberent, propter Chriſti typum, qui illic ſui corporis & ſangui-
nis ſacrificio mundi peccata erat expiaturus: ne tamē religionis exercitium frigeret, in ſingulis vrbi-
bus & caſtellis celebrioribus domus certæ erant, in quibus diebus ſabbatis populo Lex Domini expo-
Acto. 13. & 16. nebatur, ſicuti ex Actis Apoſtolorum patet. In ijſdem preces etiam publicæ fiebant, & eleemoſynæ
in pauperum ſubuentionem colligebantur. Synagogas iſtas Chriſtus paſsim ingreditur, tum ne exem-
plo ſuo cœtus ſacros, quibus vix aliud in externa religione magis neceſſarium Deoq; acceptius eſt,
damnare videatur, tum ne in angulis inter rudes tantummodo docendo, doctrinam ſuam ſuſpectam
reddat, & in populo Dei ſchiſmatis alicuius author habeatur. Eſt hoc probè obſeruandum ijs, qui
Anabaptiſtæ. Veritatis miniſtri haberi volunt. Et arguuntur Chriſti exemplo Anabaptiſtæ, qui cœtus ſacros eo
nomine deuitant, quòd in illis peccatores quoq; & interdum flagitioſi homines cum alijs congregen-
tur, quorum communione ipſi pollui nolint. Quaſi verò in eiuſmodi cœtibus ſcelerum, & non potius
religionis communio fiat. Vel num Dei filium alicuius ſceleris contagio aut communione pollutum
fuiſſe dicent, quando peſsimorum hominum cœtus ingreſſus eſt? At ſub plauſibili ſanctitatis præ-
textu hoc vnum quærunt iſti homines, vt ſua ſomnia apud imperitos liberius proferre, atq; incautos
in ſuas partes pertrahere poſsint.

*Interim admonemur, externam religionem locos certos exigere, vbi exerceatur. Etſi enim nulli loco ſalus alligata ſit, tamen ordinem obſeruari conuenit, ne qua ridicula, aut etiam periculoſa confuſio fiat, quæ nunquam cauebitur, niſi externo cultui certum tempus & certus locus deputentur. Vbi ſimul cauendum, ne loci eiuſmodi prophanis vſibus polluantur. Illud enim & religionem ipſam contemptibilem reddit, & ijs qui ab eius cognitione alieni ſunt, calumniandi occaſionem præbet. Huc Chriſti exemplum referri debet, qui cùm Hieroſolymitanum templum, eiectis numularijs, emptoribus ſimul & venditoribus repurgaſſet, nemini permiſit, vt vel vas aliquod per templum deferret. At hodie non verentur quidam ſcurrilibus colloquijs & alijs vaniſsimis rebus templorum religionem prophanare: ita nimirum ſeſe prodentes, quo animo in religionem præditi ſint.*

[Templorum uſus.] [1.Cor.14.] [Marc.11.]

*Reſtat vt quis doctrinæ Chriſti effectus fuerit, videamus. Obſtupuiſſe dicuntur, qui docentem audiuerunt. Atqui Chriſtum paulò ante à Nazarethanis ſuis contumelioſè eiectum fuiſſe Lucas tradit. Sed nunquam deeſt Dominus ijs, qui vocationem ſuam fideliter ſequuntur. Nec vnquam abſq; fructu prædicatur Dei verbum, ſicuti Iſaias per pluuiæ ſimilitudinem docet. Etſi enim multi illud faſtidiant, non deſunt tamen, qui illud magni faciunt, & ardentibus animis amplexantur. Huc facit, quòd Chriſtus oues ſuas vocem ipſius agnoſcere, & illam ſequi ait. Nam qui ex harum numero ſunt, ijs non modò verbum externum Deus offert, verumetiam eorundem corda tangit (ſicuti de Lydia in Actis traditur) quò fit, vt verbo prædicato credant, quotquot prædeſtinati ſunt ad ſalutem. Quin ne in impijs quidem ſuo effectu verbum Dei caret. Nam illorum quoq; animos Dei verbum penetrat, & ijdem animo perculſi obſtupeſcunt, quando quæ latere putabant, argui & in lucem protrahi, ſeq; in conſcientijs ſuis conuinci ſentiunt. In hoc verò à pijs differunt, quòd vbi animos collegerunt, verbum illud vel ſcurriliter contemnunt, & miniſtros inſaniæ accuſant, vt Feſtus quando Paulum è vinculis concionantem audiuit: vel hoſtiliter inſectantur, vt Iudæi, quando Chriſtum lapidare voluerunt, qui etiam Stephani oratione exacerbati dentibus frendere cœperunt, & vrbe eiectum lapidibus obruerunt. Hic ergo nos officij noſtri meminiſſe oportet, ne de verbo Dei ex noſtris affectibus iudicemus, ſed altius in noſmetipſos deſcendamus, vt in cognitionem delictorum noſtrorum adducti, eorundem emendationi ſtudeamus. Atqui hic ferè impingimus, dum eos imitamur, de quibus apud Ezechielem Dominus conqueritur. Nam Dei verbum inſtar cantilenæ alicuius audimus, quæ aut oblectat auditores, aut aliquo motu afficit illorum mentes: At domum digreſsi, ſecuri omnia negligimus, nec audita in mentem reuocamus, vt noſtræ vel inſtitutioni vel conſolationi ſeruiant.*

[IIII. Effectus doctrinæ Chriſti.] [Luc.4.] [Iſa.55.] [Ioan.10.] [Actor.13.16.] [Acto.26.] [Ioan.8.] [Acto.7.] [Ezech.33.]

*Imprimis verò cauſam, ob quam iſti obſtupuerunt, obſeruare oportet. Exprimit hanc Marcus, dicens: Docebat enim tanquam authoritate præditus, non vt ſcribæ. Eſt hic conſyderatu digna antitheſis iſta, qua ſcribis Iudæorum Chriſtus opponitur, & vnde hæc Chriſto fuerit authoritas, facilè patebit. Docebat Chriſtus Dei verbum, & verè dicere poterat: Doctrina mea non eſt mea, ſed eius qui miſit me. At ſcribæ humanis traditionibus ad quæſtum inſtitutis, ſimplices ineſcabant. Chriſtus non ſuam, ſed patris Dei gloriam quærebat: Illi in hoc toti erant, vt hominibus conſpicui eſſent. Chriſtus ardebat totus, & auditorum ſalutem ex animo ſitiebat: Illi languebant frigidi, niſi ſi quæ priuati commodi ſpes affulgeret. Chriſtus ſimul ſpiritu ſuo in hominum animis operabatur: At illorum doctrina nudis verbis conſtans, inani ſono aures duntaxat feriebat. Accedebant ad Chriſti doctrinam miracula & vitæ exemplum: Illi ſolo faſtu & inanibus titulis turgidi, exemplo malo quoſuis offendebant. Facilè ergò quiuis inter Chriſtum & illos diſcernere poterat.*

[Chriſtus cum authoritate docuit.] [Ioan.7.] [Matth.15.] [Ioan. 5.] [Matth.6.23.]

*Patet hinc vnde ſua ſit miniſtris verbi authoritas, quam hodie collapſam eſſe multi queruntur. Chriſti exemplum ſibi imitandum proponant, & mox ſe apud bonos in precio, malis autem formidabiles fore videbunt. Quod ipſum magiſtratibus quoque obſeruandum eſt, & omnibus alijs, quorum magna debet eſſe in ſuo munere authoritas. Vocationem ſuam diligenter ſectentur, nec ſuum quæſtum, ſed Dei gloriam quærant, & ſeſe non abſque fructu laborare ſentient. Et vbi Chriſto probati fuerint, cum eodem cœleſte regnum poſsidebunt, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

[Vnde ſua miniſtris authoritas]

## HOMILIA XII.

**Et erat in ſynagoga eorum homo, obnoxius ſpiritui immundo, qui exclamauit, dicens: Ah, quid rei nobis tecum eſt Ieſu Nazarene? Veniſti ad perdendum nos. Noui te quis ſis: nimirum ille ſanctus Dei. Et increpauit illum Ieſus, dicens: Obmuteſce, & exi ab homine. Et cum laniaſſet illũ ſpiritus immundus, & exclamaſſet uoce magna, exijt ab eo. Et obſtupuerunt omnes, adeò ut rogitarent, inter ſe, dicentes: Quid eſt hoc? Quæ doctrina noua hæc? Quia cum authoritate etiam ſpiritibus immundis imperat, & obediunt ei? Emanauit autẽ fama eius ſtatim in totam undique regionem Galilææ finitimam.**

Argumentum & uſus præſentis loci.

*VIdimus hucuſq; vt Chriſtus Ieſus docendi munus obierit, cui illum pater deſtinauerat. Doctrinæ ipſius ſumma fuit, Impletum eſſe tempus illud præfinitum, & Dei regnum in foribus eſſe, vt nimirum deuicto ſatanæ regno, humanum genus in libertatem filiorum Dei aſſeratur: Docere ergo omnes homines, vt ad illud ritè excipiendum per veram pœnitentiam præparentur. At ne incertus & ignotus eſſet tantus humani generis vindex atq; aſſertor, mox ſe illum eſſe, Chriſtus miraculoſis operibus docere cœpit. Inter quæ præſens hoc Marcus primum narrare voluit: cuius præcipuus finis & vſus eſt, vt Chriſtum intelligamus promiſſum illud mulieris ſemen eſſe, quod ſerpentis antiqui caput contriuit. Et quia in hac cognitione tota ſalutis noſtræ ratio potiſſimum verſatur, hiſtoriam hanc cum ſuis circunſtantijs diligentiſsimè exponit Euangeliſta, ita nos quoq; ad eandem conſyderationem excitans.*

Gen. 3.

I. Dæmoniacus typus humani generis.

*Et primò quidem dæmoniacus producitur, qui docente Chriſto in ſynagoga fuit, & clamoribus intempeſtiuis ipſius ſermonem interturbauit. Is verò totius generis humani typum gerit. Ex quo enim Adam diaboli ſuggeſtionem ſecutus, in peccatum prolapſus eſt, ille inter homines, ex corrupto Adami ſemine natos, imperium obtinuit. Quò fit, vt quoad animam eadem ſit omnium noſtrum conditio, quæ eorum eſt quoad corpus, qui à ſatana corporaliter poſſidentur. Amiſſo enim diuino illo rationis lumine, quo primum parentem Deus donarat, animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. At rationem corruptam neceſſariò voluntas praua & affectus corruptiſſimi ſequuntur. Gignunt hi ſtudia non mala modò, verumetiam noxia, quibus contra ſuam ipſius ſalutem, inſtar mente captorum, homo indomitum furit. Nec vllæ hominis vires ſunt, quibus ſemetipſum liberare poſſit: nec etiam liberari vult, cùm peccatis vnicè delectetur. Prodeſt autẽ in huius noſtræ conditionis conſyderatione crebrò verſari, vt ſalutẽ cuius nobis author eſt Chriſtus, ardẽtius amplectamur.*

1. Cor. 2.
Rom. 7.

Diaboli ingenium quale ſit
1. Ioan. 3.

*Interim diaboli ingenium nobis obſeruandum venit, quod ipſius dæmoniaci verbis probè exprimitur. Clamat ad Chriſti conſpectum, vtpote quòd illum ad diſſoluendum ipſius opera in mundum veniſſe ſciret. Ita verò ſuam impotentiam teſtatur, quodq; aduerſus Chriſtum regnum ſuum defendere nequeat. Quid ergo inanibus minis ſeſe oſtentantem metuimus? Deinde ſibi à Chriſto iniuriam fieri queritur, quod extremæ impudentiæ argumentum eſt. Quid (inquit) nobis tecũ rei eſt? Quaſi dicat: Cur nos eiectos vis, cùm nihil nobis tecum negotij ſit? Atqui diabolum Chriſti ditionem inuaſiſſe conſtat, quando inter gentes omnes regnum ſibi vſurpauit, quas Chriſto pro hæreditate ſua Deus aſſignauit. Addit: Veniſti ad perdendum nos. Cui querelæ alibi hoc addit, quòd ante tempus Chriſtus venerit. Adeò nullius mendacij diabolum pudet, vt iſtud dicere palàm auſit, etſi non ignoret fatale illud tempus, quod à Iacobo patriarcha & Daniele prædictum erat, iam impletum eſſe. Iſtis verò blanditias interſerit: Scio qui ſis, Nimirum ille ſanctus Dei, quem pater humani generis redemptioni deſtinauit, vt per te ipſi conſecrentur, qui ab illo hactenus alieni fuerunt. Cum itaq; talem te agnoſcamus, quid nos præterea torquere & vexare iuuat? Quin vt noſtro etiam regno fruamur, permittis? Sunt hæc diligenter obſeruanda ô fratres, eò quod noſtræ cùm conſolationi tum inſtitutioni multiuariam ſeruiunt.*

Pſalm. 2.

Matth. 8.

Impij ingenium diaboli referũt.

*Primò enim diaboli ingenium atq; ſophiſticen agnoſcere diſcimus, qua hodie etiam in impijs aduerſus veritatem vtitur. Eſt hoc illis proprium, quòd nihil perinde atq; Chriſtum metuunt atq; exo-*

ſum habent. Quia enim opera illorum mala ſunt, & fucata iuſtitia ſeſe venditant, veritatis lucem ferre non poſſunt. Interim impietatem ſuam mirabili artificio celare norunt, dum priores Chriſti & miniſtrorum ipſius accuſationẽ inſtituunt, atq; ſibi ab illis iniuriam fieri queruntur. Iniquum enim eſſe clamant, quòd ab ijs arguantur, quibus cum nihil commune habeant, nec etiam habere velint. Adhæc importunitatis accuſant, quaſi hoc ſeculo controuerſiæ eiuſmodi excitentur, quando illas potius ſopiri præſtaret. Quid quòd indignis modis ſecum agi clamant, quando ipſorum tyrannis, qua eccleſiam hucuſque oppreſſerunt, euertitur? Ne tamen palàm impij dicatur, quædam ſatis magnificè de Chriſto profiteri ſolent. Nam & Dei filium & mundi ſaluatorem agnoſcunt, & fidei articulos ſe admittere dicunt, cùm tamen quod ore fatentur, factis negent, & ſuperſtitioſis traditionibus Chriſti meritum oppugnent, eosq; ferro & igne perſequantur, qui vno Chriſto contenti, huic omnem ſuæ redemptionis gloriam tribuunt. Quòd ſi omnino ſibi loco cedendum vident, ad blanditias humiliter conuerſi petunt, vt in religione libertas conſtituatur, & ipſis ſua quoque ſacra peragere liceat. Quod etſi non ſemper negari poßit illis, pijs tamen prudentia neceſſaria eſt: quando conſtat illos non aliud quàm occaſionem quærere, qua nouas turbas dent, & Chriſtum eiusq; doctrinam aliquando eijciant. Tunc ergo præſentis exempli meminiſſe oportet, ne nobis imponi patiamur.

Deinde diligenter tenere conuenit, diabolum palàm profiteri, ſibi nil cum Chriſto commune eſſe. Quæ enim iuſtitiæ communio eſſe poßit cum iniuſtitia? aut luci cum tenebris? aut Chriſto cum Belial? Diabolus certè in veritate nunquam perſtitit, ſed initio ſtatim mendax & homicida factus, ab eo tempore Chriſti regnum oppugnare nunquam deſijt, ſicuti in ipſius primogenito, Caino parricida, videre licet. Nec eſt, quòd aliud ſperemus hodie. Non tamen nos ideò terreri conuenit. Quin potius gaudeamus, cum hinc conſtet, nihil diabolo iuris eſſe in nos, qui Chriſto inſerti ſumus. Interim illorum artes & fraudes caueamus, qui hodie (vt paulò ante diximus) Chriſtum cum diabolo coniungere ſtudent, dum vel ſuperſtitiones & hominum traditiones cum Euangelij doctrina, vel effrenem peccandi licentiam cum fidei profeßione ſimul conſiſtere poſſe arbitrantur. Vide 2. Corin. 6.

Diabolus nihil cũ Chriſto commune habet.
2. Corin. 6.
Ioan. 8.
Gen. 4.

Docet præterea locus hic nudam Chriſti confeßionem, quæ verbis & ore fit, ſaluare non poſſe. Hanc enim diabolus quoque edit, & Iacobus dæmones credere & contremiſcere teſtatur, de hiſtorica nimirum fide loquens, qua Dei iuſtitiam & maieſtatem, quodq; ipſis decretum eſt ſupplicium agnoſcunt. At non iuuant iſta, eò quòd nec ſaluificam in Chriſto virtutem ad ſe pertinere credunt, nec eius cognitione ad fidei obedientiam excitantur. Similis planè eorũ quoq; eſt ratio, qui hodie Chriſti nomine gloriantur, cum interim à fide alienißimi ſint, quod ex eo colligi poteſt, quòd ſalutis fiduciam alibi collocant, & vitæ impuritate Chriſti atq; Euangelij profeßionem infamant.

Confeßio fidei nuda nõ ſaluat.
Iacob. 2.

Sed ad Chriſtum tranſeamus, qui diabolum mox aggreditur & eijcit. Primò autem increpat & tacere iubet: partim vt oſtendat, nihil ſibi cum illo commercij eſſe, nec illius teſtimonio indigere: partim vt ſuo exemplo doceat, illius blanditias, promißiones, minas, reſponſa denique omnia ſpernere. Cum enim mendacij pater & homicida ſit, aut palàm mentitur ſemper, aut verum dicendo, noſtrum exitium & interitum quærit. Cur ergo illi credant, qui Chriſtum doctorem & ſaluatorẽ agnoſcunt? Huius meminerint, qui artes illicitas ſecuti, in rebus dubijs & futuris ad illius reſponſa confugiunt, ariolos & magos conſulunt: aut in morbis alijsq; periculis conſtituti, ab illo auxilium petunt. Excuſant illi ſuum iſtud facinus, nec ſe diabolo fidem habere proteſtantur, hæc tamen facere, quia multis alijs ſucceßiſſe viderint. Ita verò ſemetipſos mendacij conuincunt. Si enim diabolo non fidem habent vllam, cur illum conſulunt? cur ab illo beneficium expectant? cur illius opem implorant? cur circa artes diuinitus prohibitas tam multũ occupantur? Nos Chriſtum imitemur, qui vera dicentem audire non vult, quando illum non aliud quærere nouit, quàm vt omnem noſtræ ſalutis cauſam ſuo teſtimonio ſuſpectam reddat. Pertinet huc Pauli exemplum, quod Act. 16. habetur.

II. Chriſtus diabolum ſuo regno pellit.
Deut. 18.
Iſaiæ 8. &c.

Deinde exire iubet immundum ſpiritum ab homine: nec mora, & exire cogitur. Eſt hoc diuinæ potentiæ euidens argumentum. Conſtat enim diaboli potentiam viribus humanis multò ſuperiorẽ eſſe, quando nemo eſt, qui ſemetipſum, nedum alios ex illius tyrannide proprijs viribus liberare poßit. At illum verbo ſuo Chriſtus eijcit. Verus ergo Deus eſt, & angelorum omnium, tam bonorum quàm malorum dominus. At potentia ſua ad noſtram ſalutem vtitur. Quod enim in iſto homine fecit, idipſum in toto hominum genere præſtitit, quando expiato peccato, per quod nobis ſatan dominabatur, il

Chriſti uerbò diabolus eijcitur.

1.Corin. 15. *lius regnum funditus euertit, nosq́ ex illius tyrannide aſſeruit. Obſeruabis autem, Chriſti verbo*
Epheſ.6. *diabolum vinci. Eſt enim acutiſsimus ille gladius ſpiritus, qui ſi per fidem veram in hoſtem illum vi-*
Hebr.4. *bretur, mox omnes illius vires frangit, inſidias detegit, & conatus omnes eludit. Aſsiduo igitur illius*
*ſtudio opus eſt, vt quoties cum hoſte nobis res eſt, ipſi quoq́ eodem pugnare poſsimus.*

III. Diabolus inuitus, nec abſque malo dato, cedit. *Porrò ad diabolum redire oportet, vt quomodo ceſſerit videamus. Laniat hominem, & Luca te-ſtem in medium proijcit. Horrendum item clamat. Quæ non obſcura impatientiæ magnæ ſigna ſunt. Vt enim hominum interitu gaudet: ita nihil illi intolerabilius videtur, quàm imperium ſuum in homines amittere. Quòd ſi illud omnino fieri oportere videt, tum demum vires omnes exerit, indomitè furit, & iam diſceſſurus malum aliquod dare cupit. Vides ergo quanta diligentia illius ſeruitium cauendum ſit, à quo vix vnquam diſcedere datur, quin aliquid damni ſentias. Simul verò hinc conſolationem petamus, ſi quando ſatanas immani furore pugnare, & extrema quæq́ nobis minitari videtur. Hæc enim eius poſtrema lucta eſt, & quia ſibi cedendum eſſe videt, ideò quicquid habet virium profert.*

IIII. Miraculi huius effectus. *Quis verò tanti miraculi effectus fuit? Obſtupeſcunt omnes, & tum de ipſo Chriſto, tum de illius doctrina, admirabundi quærũt. Elucet hic humani ingenij tarditas, qua fit vt ſæpè ea miremur, quorum ratio facilè pateret, ſi ad Dei verbum reſpiceremus. Cur enim non veterem promiſsionẽ in animum reuocant, quæ Meſsiam diaboli victorem fore teſtatur?* (Geneſis 3.) *Deinde fama Chriſti ad omnem viciniam emanat, & paſsim illius miracula celebrantur, quem Nazarethani paulo ante contumeliosiſsimè eiecerant.* (Pſal.91. Lucæ 4.) *Nulla ergo hominum vel malitia vel ingratitudine Chriſti gloria obfuſcari poteſt, quin palmæ inſtar inter onera & aduerſa eluctari & emergere conſueuit. Diſcamus autem & nos Chriſtum agnoſcere, & iuxta ipſius exemplum aduerſus ſatanam fortiter pugnare. Quod vt ſemper fieri debet, ita proprium ſabbati opus eſt. Excuſſo igitur illius iugo, verbum Dei audiamus, precemur, beneficentiæ ſtudeamus, & mox diaboli regnum corruet, regnabit autem in nobis Chriſtus Ieſus, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum, Amen.*

## HOMILIA XIII.

**Et protinus è Synagoga egreſsi, uenerunt in domũ Simonis & Andreæ, cum Iacobo & Ioanne. Socrus autẽ Simonis decumbebat febricitans, & continuò dicũt ei de illa. Et accedens erexit eã, apprehenſa manu eius; & reliquit eam febris illicò, ac miniſtrabat eis.**

Argumentum & uſus præſentis loci. *OMnium quæ ab Euangeliſtis ſcripta ſunt, hic finis & ſcopus eſt, vt credamus Ieſum eſſe Chriſtum, & vt credentes vitam habeamus per nomen eius. Quare cum res omnes ex ſuis ſuperioribus rationibus ſiue effectis optimè cognoſcantur, in miraculoſis Chriſti operibus deſcribendis cumprimis diligentes ſunt. Ex his primùm commemorauit Marcus liberationem hominis dæmoniaci, quo doceatur, Chriſtũ promiſſum illud mulieris ſemen eſſe, quod ſolũ antiqui ſerpentis caput cõtriuit, atq; humanum genus ex illius tyrannide aſſeruit.* (Geneſis 3.) *Huic commodè præſens hoc ſubijcitur, quo admonemur, eundem corruptæ etiam naturæ & latenti in nobis peccati noxæ mederi, quæ ad malum quidem procliues, ad bonum verò, non tardos modò, verumetiam ineptos reddit. Cuius typum febris, à cuius æſtu Petri ſocrum Chriſtus liberauit, pulchrè refert. Febris enim in interioribus corporis partibus accenſa, immodico & nimio ardore corpus totum inflammat, ſitim excitat inextinguibilem, quæ non niſi noxia appetit, & languore graui omnia membra debilitat, vt vix vllum ſuo officio verè fungi poſsit. Eadem omnino hæreditarij ſiue Originalis peccati in nobis natura eſt. Nam in membris noſtris (vt Paulus Rom.7. loquitur) reſidens, deſyderijs nocentiſsimis omnes tum corporis tum animæ facultates inflãmat. Quo fit, vt aures turpia audire, oculi noxia videre, manus aliena tãgere, pedes illicita ſectari, totus deniq; homo peccatis ſeruire cupiat. Simul verò rationẽ excæcat, vt nõ percipiat ea quæ ſunt ſpiritus dei, animæ vires debilitat, voluntatẽ captiuã ducit, et niſi præſenti aliquo remedio coherceatur, morti æternæ mãcipat. At tanti mali medicus vnus et ſolus Chriſtus eſt, qui incarnationis ſuæ contactu nobis quaſi manus porrigit, verbo ſuo peccatum increpat, ſpiritu aũt innouatos excitat,*
Matth.9. *& ad omne opus bonum idoneos reddit. Quæ cauſa eſt, quòd alibi ſe medicum profitetur, qui ægros*

*ſanandis*

ſanandis in mundum venerit. Quia tamen multa alia huic hiſtoriæ inſunt, ſingulas illius partes ex ordine inſpiciemus.

Quomodo Apoſtoli ſua reliquerint. Matt. 19.

Primo Chriſtus occurrit, qui in domũ Petri & Andreæ diuertere voluit, quos iam ante ad Apoſtolatum vocatos fuiſſe audiuimus, quiq́ alibi propter Chriſtum omnia reliquiſſe dicuntur. Apparet hinc, quomodo ſua Apoſtoli reliquerint. Non quòd temere deſeruerint vxores, liberos, familiã & quæ ad huius conſeruationẽ faciunt: ſed quatenus illorũ vocatio poſtulabat. Quando enim per hanc licuit, ad ſua redierunt, nec eos damnarũt, quibus hoc conceſſum eſſe videbant, vt ſuis honeſtè proſpicerent. Habet ergo Petrus domum, vxorem, familiam, nauim, retia, ad quæ poſt Chriſti quoq́ reſurrectionem rediiſſe legitur. Fruſtra ergo Apoſtolorum exempla nobis Monachi & Anabaptiſtæ obijciunt, quorũ illi ſub paupertatis voluntariæ prætextu ditiſsimi ſunt, hi verò temere deſerta vocatione ſua, rebus nihil ad ſe pertinentibus ſeſe implicant. Quin potius in ſua vocatione maneant ſinguli, & mundo hoc ita vti diſcant, ne eodem abutantur, ſicuti Paulus ad Corinth. monuit. 1. Corinth. 7.

Ioannis 21.

Apoſtoli uxores habuerunt.

Imprimis verò obſeruabis quod de Petri ſocru dicitur. Inde enim patet, eundẽ vxorem quoq́ habuiſſe. Quod ipſum de omnibus Apoſtolis, excepto ſolo Ioanne, quidam non abſq́ ratione affirmarunt. Habent enim Pauli teſtimoniũ dicentis: An non habemus poteſtatẽ ſororem mulierem circũducendi, quemadmodũ & cæteri Apoſtoli & fratres Domini, & Cephas? Neq́ hîc Hieronymi interpretationẽ admittimus, quam ille (vt pace tanti viri dixerim) parum prudenter confinxit, vt cœlibatũ, cui ſemel patrocinari inſtituerat, aſſereret. De Chriſtianis enim mulieribus locũ intelligit, quæ Apoſtolos officij ergò ſecutæ ſint, vt illis miniſtrarent, quorũ tamen vxores non fuerint. Ita verò Apoſtolos vxoribus abſtinuiſſe cõtendit, vt eoſdẽ interea ſcortationis ſuſpectos reddat. Quis enim nõ videat, quàm turpe, quàm iniquum, quàm plenũ offendiculi hoc fuiſſet, ſi relictis proprijs vxoribus, mulieres alienas & nihil ad ſe pertinentes circũduxiſſent? Non minus friuolum eſt, quod Apoſtolorũ coniugia ad vetus teſtamentum relegat, & illa ceſſaſſe ſcribit, poſtquàm ad Euangeliũ vocati ſunt. Quaſi verò neſciamus Paulum à noui teſtamenti epiſcopo exigere, vt vxorem & liberos atq́ familiã honeſtè inſtitutã habeat. Et Philippũ Cæſareæ habitauiſſe, & quatuor filias prophetantes habuiſſe legimus, quas ex ſcortatione natas eſſe dicat, ſi quis adeò perfrictæ frontis eſt, vt honeſtius eſſe putet, Apoſtolos viroſq́ Apoſtolicos ſcortatores quàm cõiugatos dicere. Ego Philippũ vxori legitimæ conuixiſſe, & ex illa liberos genuiſſe dico, nec vnquam crediderim, Paulum in ſcortatoris domũ diuertere voluiſſe, cùm ſcortatores idem à Dei regno alienos eſſe doceat. At eccleſiarũ miniſtris à coniugio abſtinendum eſſe clamant, quia illorum conuerſationem perfectiſsimam eſſe conueniat. Atqui matrimonium Chriſtianæ perfectioni nihil derogat. Nam & Apoſtolorũ ſtatum perfectiſsimũ, & matrimonium in paradiſo priuſquàm à perfectione illa prima Adã excidiſſet, diuinitus inſtitutũ fuiſſe conſtat. Et Paulus coniugatorũ cubile impollutum eſſe ait. Scimus quidem eundẽ alibi dixiſſe: Bonum eſt homini vxorẽ non attingere. At illud propter curas & moleſtias, quæ coniugiũ comitantur dicit, non quòd illud per ſe malum eſſe ſentiat. Quin mox ſubdit: Attamen propter ſtupra vitanda ſuam quiſq́ vxorẽ habeat, & ſuum quæq́ virum habeat. Arguunt hæc Pontificũ tyrannidẽ, qui miniſtris coniugij vſum prohibuerunt, & ita grauiſsimi in eccleſia ſcandali authores fuere, quando factũ eſt, vt impudenter ſcortati fuerint, qui publica Chriſtianæ honeſtatis & puritatis exempla eſſe debebant. Cœperat hanc Camerinam iam olim ſatan mouere, quando in Nicæa Synodo, quidam aduerſus miniſtrorum coniugia diſputarunt, quos Paphnutij authoritas repreſsit. At non quieuit myſteriũ iniquitatis agitare malignus ille ſpiritus, donec effectum dedit quod voluit. Quàm nulla verò apud nos eſſe debeat eiuſmodi decretorum authoritas, vnus Pauli locus abundè docet, qui illa ad dæmoniorum doctrinas refert. Vide 1. Timoth. 4.

1. Corinth. 9.

Lib. 1. aduerſus Iouinianum.

1. Timoth. 3.

Tit. 1.

Acto. 21.

1. Cor. 6.

Gen. 2.

Hebr. 13.

1. Corinth. 7.

Socrates lib. 1. cap. 11.

Qualis fuerit Petri familia, & quales eſſe deceat familias Chriſtianorũ.

Sed ad hiſtoriam reuerſi, qualis huius domus familia fuerit, videamus: Plena nimirum fidei atque charitatis. Fidei argumenta ſunt, quòd Chriſtum ſequuntur, excipiunt & ſua in illum libenter conferunt. Charitatis autem eſt, quòd duo fratres in vna eademq́ domo cohabitant, quòd ſocrus ægrotantis curam habent diligentẽ, & vix domum ingreſſum Chriſtum pro illa rogant, & quòd plures ſimul cum illo aduenientes abſque murmure excipiunt. Admonemur exemplo hoc, quales eſſe deceat Chriſtianorum familias. Prima in illis fidei atq́ religionis cura eſſe debet. Quia niſi dominus domum ædificet, & noſtris laboribus atq́ induſtriæ benedicat, ipſi nihil proficiemus. Hinc illa de li-

Pſal. 127.

Exod. 13.

Pſal.78. beris in Dei cognitione probè inſtituendis præcepta, promiſſiones itẽ & minæ, quæ in lege proponun-
Deut.6.28. tur. Deinde charitatis & concordiæ ſtudium ſeruetur, quando ſolos illos diuinæ benedictionis capa-
Leuit.26. ces eſſe conſtat, qui ab odio, inuidia, æmulatione & contentionibus liberi, fraterno amore coniuncti ſi-
Pſal.133. mul cohabitant. Tertiò parentes, & quicunq; horum loco ſunt, in pretio haberi & amari conuenit;
tum quòd longo rerum vſu multa edocti, prudentia & conſilio valent, tum quòd in longæua ſenectute
peculiare gratiæ Dei ſpecimen & veneranda canitiei maieſtas elucet, ad quam omnes vnanimi con-
ſenſu aſpirare ſolent. Quam quicunque in alijs contemnunt, næ indigni ſunt, qui ad illam aliquando
Matt.25. perueniant. Poſtremò Chriſti hoſpitia ſint domus noſtræ, nec pigeat illius membra excipere, quando
Gene.18. ſcimus illum in ſuas rationes aſcribere, quicquid in ſuos confertur. Talis olim Abrahæ domus fuit,
Ioan.11.12. Talis Lazari Bethanienſis, & aliorum, quorum exempla in ſcripturis nobis imitanda proponun-
tur. At ſi pleroſq; conſyderes, qui noſtro ſeculo Chriſtiani dici & haberi volunt, illos in omnibus hiſce
plurimùm peccare fateberis. Religionem enim ita negligunt, vt in quæſtuoſis artibus potius quàm in
Dei cognitione & pietatis ſtudio liberos ſuos inſtitui velint: vt de ijs nihil dicamus, qui vitiorum ſe-
mina teneris animis inſtillant. Inter domeſticos rixæ quotidianæ ſunt, à quibus coniuges etiam fre-
quenter ad verbera deueniũt. Seniorũ nulla ferè authoritas eſt, & illos pleriq; mortuos quàm vi-
uos mallent. Quòd ſi in Chriſtum & illius membra ſumptus aliquis faciendus ſit, mox tenaciſſimos
videbis, quibus in vſu eſt ſua omnia in veſtium luxum, aleam, pocula, ſcortationẽ & turpiſſima quæ-
uis flagitia profundere. Quid mirum ergo fuerit, ſi veteres & nobiles familias interire, & iratì Di-
manum vndique nobis imminere videamus?

Quò confugere debeamus in aduerſis. Docet præterea huius familiæ exemplum, quò confugere debeant, qui vel morbis vel alijs aduer-
ſis premuntur. Ad Deum ſcilicet, qui ſolus iſta immittẽdi & auferendi ius habet. Huius verò opem
Chriſti nomine implorare oportet, in quo pater nobis reconciliatus eſt, & per quem aditum habemus
Matt.3.17. liberũ ad thronum gratiæ. Licet quidem medicina & medicorum opera vti, quãdoquidem herbas, &
Hebr.4. infinita alia in hominis vſum Deus procreauit. Sed illic meminiſſe oportet, pharmacorum vires nul-
las fore, niſi Deus illa nobis ſalutaria eſſe velit. Ita ergo illis vtendum, ne fiduciã, quæ vni Deo debe-
2.Par.16. tur, in illis collocemus. Qua in re Aſa rex olim peccauit. Imprimis verò locus iſte eos arguit, qui Di-
uis vota nũcupant, & eos inuocandos eſſe arbitrantur, quòd ipſi quoq; olim ijſdẽ periculis implicitì,
& mirabiliter liberati fuerint. Quin potius ad Deum recurrunt, qui olim in illis liberandis ſuã tum
Pſal.50. bonitatem tum potentiam declarauit, quiq; in Pſalmis ait: In die tribulationis tuæ inuocato me, &
liberabo te, &c. Aut ſcripturis euincant, Deum ſuam hanc poteſtatem in Diuos tranſtuliſſe, id quod
illis tam facile factu erit, quàm digito cœlum attingere.

Chriſtus febricitãti medetur. Porrò Chriſtũ videamus, qui piæ familiæ precibus mox acquieſcens, febricitantis anus manũ ap-
prehendit, febrim (vt Lucas habet) increpat, & in pedes erectã priſtinæ valetudini reſtituit. Elucet
Lucæ 4. hic magna Chriſti bonitas, qui miſeros & peccatis grauatos ſalutifero incarnationis ſuæ contactu di-
gnatur. Et ſimul eiuſdem potentiã videre licet, quæ & morbis, & ventis, & dæmonibus, & creaturis
omnibus magna cum authoritate præcipit, & illis pro ſuo arbitrio vtitur. Solentur nos iſta in omni
tentationum genere, ne vel nos propter infirmitates noſtras à Chriſto contemni, vel illas incurabiles
eſſe putemus. Non faſtidit enim miſeros, qui carnem aſſumere dignatus eſt. Et idem facilè omnibus
vitijs mederi poteſt, cuius increpatio ad morbos & dæmones profligandos ſufficit. Quòd ſi verò illa
in ira ſua impios hoſtes increpet, mox in fumum abibunt illorum conatus, qui paulò ante inſuperabi-
les eſſe videbantur. Stemus ergo intrepidi, & ſalutis fiduciam in hoc vno collocatam habeamus. Eſt
enim ingens & inexcuſabilis illorum error, quicunq; non vno hoc medico contenti, ſalutem alibi quæ-
runt: Ita enim & bonitatem illius aſpernantur, & potentiam in dubium vocant, ſeq; ipſos læſæ maie-
ſtatis diuinæ reatu implicant.

Officium eorũ quos liberauit Chriſtus. Cæterum à febri liberata ſurgit Petri ſocrus, & miniſtrat illis. Officij hic admonemur, quos
Chriſtus ſiue anima ſiue corpore reſtituit. Debent illi è peccatorum luto ſurgere, & amplius non pec-
care, ſicuti paralytico curato ad piſcinam, Chriſtus dicit. Chriſto autem per fidem & charitatem mi-
Ioan.5. niſtrare debent, vt non verbis modò, verùmetiam factis, animorũ gratitudinem teſtentur. Fit hoc ſi
ad Dei gloriam ea conuertant, quæ illis prius iniuſtitiæ inſtrumenta fuerunt. Interim docemur
hoc exemplo, pijs infirmitates quoq; ſuas ad Dei gloriam cedere. Quia enim in illis Dei gratiam ex-
periuntur,

periuntur, eò alacriores ad officium redeunt, vt ardentiori ſtudio id compenſent, quod abs ſe peccatũ fuiſſe ſentiunt. Oremus ergo Deum patrem, vt in nobis quoq; per filij ſui meritum æſtuantes corruptæ naturæ affectus reſtinguere dignetur, vt lætifero illo corpore liberati Chriſto ſeruiamus, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

## HOMILIA XIIII.

Veſperi uerò, cum occidiſſet ſol, afferebãt ad eũ omnes malè habentes, & qui à dæmonijs agitabantur. Et ciuitas tota congregata erat ad oſtium, & ſanauit multos qui ægrotabãt uarijs morbis, & dæmonia multa eijciebat, & non ſinebat loqui dæmonia, quòd ipſum noſſent. Et manè multa adhuc nocte, cũ ſurrexiſſet egreſſus eſt, & abijt Ieſus in deſertum locũ, ibiq; orabat. Et proſequutus eſt eũ Simon, & qui cũ illo erant, & cum inueniſſent eũ, dicũt ei: Omnes te quærunt. Et ait illis: Eamus in proximos uicos, ut & ibi prædicem: in hoc enim egreſſus ſum, Et prædicabat in ſynagogis eorũ per totam Galilæam, & dæmonia eijciebat.

Argumentum & uſus præſentis loci.

QVàmuis Euangelij doctrina, quæ in vno Chriſto ſalutẽ monſtrat, nullis teſtimonijs opus habeat, eò quòd ipſiſſimũ Dei patris verbũ ſit: Chriſtus tamẽ noſtræ infirmitatis cauſa illã miraculis confirmare voluit, quæ illũ reipſa talẽ eſſe teſtantur, qualis verbo prædicatur. Quæ cauſa eſt, quòd miracula illa Euãgeliſtæ diligẽter deſcribunt, in quorum cõſyderatione nos ita verſari conuenit, vt Chriſtũ in animabus noſtris hæc ipſa operari credamus, quæ olim in ſanandis hominũ corporibus præſtitit. Et huc imprimis facit præſens hic locus, in quo præcipua Chriſti opera ita deſcribũtur, vt luculentiſſimè pateat, in illo nobis diuinitus proponi, quæcunq; ad noſtrã ſalutẽ faciunt; & hunc illum Regem atq; Sacerdotem eſſe, quem præfinito tempore venturum prophetæ prædixerunt.

Capernaitæ ad Chriſtum confluunt, ſed ſtudio præpoſtero.

Cæterũ priuſquã Chriſti facta ſiue opera excutiamus, qua occaſione illa fecerit, indicatur. Præbuerunt hanc Capernaitæ, quos miraculi in ſynagoga editi fama excitauit, vt ſub ſolis occaſum omnes cateruatim ad Petri oſtium cõfluant, & ad Chriſtũ deferant quoſcunq; vel morbis malè affectos, vel immundis ſpiritibus obnoxios habebant. Vbi laudem ſanè merẽtur, quòd corporalia Chriſti beneficia tanti faciunt; & ſuos illius ope curari cupiunt. Interim minimè probari debet, quòd de ſola corporũ ſalute ſoliciti, interea animarũ ſalutem, quam Chriſtus cumprimis offerebat, ſecuri negligũt. Quot enim inter illos fuiſſe putas, quos auaritiæ ſitis, quauis hydropiſi ardentior, inflammabat, qui item libidinis æſtu ardebant, ſuperbiæ vento intumeſcebant, intemperantia præfocabantur, odio & inuidia attenuabantur, quiq; ſeſe totis animis diaboli ſeruitio addixerant? Atqui nullus horũ Chriſti opem quæſiuiſſe legitur, nec aliquis pro alio hiſce vitijs laborãte interceſſit. Ita apud Ioannẽ, Chriſtum auidè ſectantur, & regem facere volunt, quando miraculoſe ab illo paſti ſunt: at animarum cibum offerrenti improbè ogganiunt. Atqui vtinam cùm iſtis vitium hoc totum intercidiſſet, & non hodie etiã eiuſmodi Capernaitæ inter Papiſtas ſimul & Euangelicæ doctrinæ profeſſores inuenirentur. Quid enim aliud faciunt, qui Diuorũ cultores dici volunt, ab illis autem nil niſi corporum ſanitatem & temporalia beneficia petunt, doctrinam verò & fidei exemplum, quod in illis proponitur, omnino negligunt? Nos qui Euangelicæ doctrinæ ſtudium profitemur, opibus & honoribus intenti, vitæ Chriſtianæ officia facilè negligimus, tamq; abeſt, vt de fratrum emẽdatione ſeriò cogitemus, vt nec noſtra ipſorum ſalus nobis ſatis cordi ſit. Quid autem præpoſteros eiuſmodi Chriſti ſectatores maneat, ex ijs æſtimare licet, quæ Chriſtus Capernaitis alibi interminatur. Horum tamẽ imprimis memores ſint, quorum tanta ingratitudo eſt, vt temporalia quoq; beneficia, quæ ex Euangelio ad ipſos redeunt, improbè diſſimulent. Quæramus autem in Chriſto quæ animarum ſaluti ſeruiunt, & mox in temporalibus etiam Dei benedictionem nobis non defuturam eſſe experiemur. Vide Matth. 6.

Capernaitæ noſtri ſeculi.

Matt. 11.

Chriſtus quoſuis amicè excipit.

Luc. 4.

Tranſeamus nunc ad Chriſtum Dominũ, in quo eximium & quotidiana meditatione dignum diuinæ bonitatis atq; manſuetudinis exemplũ elucet. Etſi enim non ſatis magnificè de ipſo ſentiant, & poſtea ingratiſſimos hominum fore non ignoret, adhæc importuni nimis tempore importuno veniant: adeò tamen non reijcit ad ſe venientes, vt potius amicè exceptos attactu dignetur. Nam Lu-

Matt. 8.

eas illum ſingulis manus impoſuiſſe ſcribit. Atqui manuum impoſitione non opus erat, cùm pro imperio morbis mandare, & in abſentes occulta diuinitatis virtute operari poſſet, vt in ſanato Centurionis famulo eſt videre. Sed ita ſuam bonitatem teſtari, & afflictis omnibus animos addere voluit, ne illius maieſtate conſternarentur, cuius manſuetudo tot exemplis cognita atq; perſpecta eſt. Seruiat ergo hoc fidei noſtræ confirmandæ, ne nos Chriſto vel indigniores vel importuniores videri poſſe putemus. Inuitat ille ad ſe omnes, qui laborant & onerati ſunt. Vocat ſitibundos & famelicos. Venientes ergo ad ſe reijcere non poteſt. Idem verò infirmitates noſtras expertus eſt, & omnis generis tentationes ſubijt. Cur ergo infirmos & tentationibus obnoxios faſtidiat? Nec aliquod tẽpus illi intempeſtiuum & incõmodum videri poteſt, cuius prompta ſemper ad iuuandũ voluntas eſt, quiq; nobis dormientibus manè ſurgit, omnes ſaluandi occaſiones quærit, & manus ſuas erga rebellẽ quoq; populum ſemper extenſas habet. Quin potius dies & noctes inuocari vult, & aſsiduis ad ſe confugientium clamoribus delectatur, ſicuti ipſe in parabola viduæ & iniqui iudicis docet. Interim Chriſti exemplum ad noſtram inſtitutionem transferamus, vt eadem manſuetudine ipſi etiam vtamur erga eos, qui noſtra ope indigent. Hîc enim plurimùm peccari conſueuit. Quia enim ex ingenito philautiæ malo noſtris commodis intenti, à beneficentiæ ſtudio autem natura alieni ſumus, vndiq; cauſas venamur, ſub quarũ prætextu charitatis officia quibuſuis negare liceat. Hinc eſt, quòd noſtra ope indigis aut vitam anteactam, aut ab illis acceptas iniurias, aut opem poſtulantibus improbitatem exprobramus, & noſtras cauſamur occupationes, & infinita alia cõminiſcimur, quæ ingenioſa priuati cõmodi cupiditas ſuggerit. At ſi Chriſti exemplum nobis ob oculos ponamus, & quales ipſi in Dei conſpectu ſimus, probè expendamus, facilè patebit, iniquiſsimas eſſe eas rationes, quæ primo intuitu carni iuſtiſsimæ videntur. Imitemur ergo Deum patrem, qui ſolem ſuum ſuper iuſtos & iniuſtos oriri patitur, & iuxta Chriſti doctrinam proximos nobis eſſe putemus, quicunq; noſtra ope indigent, & in illos conferamus, quæ à nobis exiguntur, charitatis officia. Vide Samaritani parabolam. Luc. 10.

Matt. 11.
Ioan. 7.
Iſaiæ 55.
Hebr. 2. 4.
Ieremiæ 11.
Iſa. 65.
Lucæ 18.
Chriſti manſuetudo imitanda.
Matt. 5.

Opera Chriſti, Regis & Sacerdotis noſtri.
1. Medetur morbis & à diaboli tyrannide liberat.
Matt. 8.
Iſa. 53.
1. Pet. 1.
1. Ioan. 3. 15.

Reſtat vt Chriſti opera inſpiciamus, quæ præcipua huius loci pars eſt. Verã enim illius cognitionem tradit, & verè Vnctũ illum Dei, id eſt, Regẽ & Sacerdotẽ eſſe demonſtrat, quẽ pater ab æterno humani generis redemptorẽ conſtituit. Et primò quidem multos curauiſſe dicitur, qui varijs morbis ægrotabant, & ſpiritus immũdos ex obſeſsis verbo eieciſſe. Interpretatur hoc Matthæus per Iſaiæ locum, quo Chriſtũ noſtras infirmitates & morbos portaturũ prædicit. Patet ergo, hunc humani generis vindicẽ & aſſertorem eſſe. Per morbos enim omnes generis ingenita nobis corruptio, & quæcunq; ex hac enaſci ſolent, peccata figurãtur. Corruptioni autẽ noſtræ Chriſtus medetur, dum ex verbi ſui ſemine per ſpiritũ nos in filios Dei regenerat, et ad omne opus bonũ idoneos reddit. At peccata ſimul omnia ſuæ mortis merito expiat, & ita diaboli tyrannidem euertit, qua ille propter peccatũ miſeros mortales premebat. Et iſta quidẽ per incarnationẽ ſuam nobis contulit, quæ illi contactus loco ſunt, à nobis autẽ ſola fide percipiuntur, quæ ideò nos iuſtificare atq; ſaluare dicitur. Quia enim ex nobis carnem aſſumpſit Chriſtus, adeoq; frater noſter factus eſt, cauſam noſtrã ſuſcipere, & debita noſtra exoluere potuit. Nos verò meriti ipſius & totius Chriſti conſortes reddimur, quando illũ fide amplexi, illi inſerimur, ſic vt illius membra cenſeamur. Ita verò Regis officio fungitur, dum ſuos ex peccati & diaboli tyrannide aſſertos ſibi vendicat, & eoſdem ſecũ in æterni & cæleſtis regni ſui poſſeſsionem transfert. Simul hîc noſtri etiã nos officij admonet. Dum enim verbo ſuo dæmones eijcit, nec eoſdem loqui patitur, docet, nobis quoq; gladio ſpiritus, id eſt, verbo ſuo, aduerſus communẽ hunc hoſtẽ aſsiduè pugnandũ eſſe, nec vllũ nobis cũ illo cõmerciũ eſſe debere, adeò vt nec magnifica illius de noſtra fide teſtimonia admittamus, quando conſtat, illa ab eo non in aliũ finẽ proferri, quàm vt per illa vniuerſam fidei Chriſtianæ cauſam ſuſpectã reddat, ſicuti ſupra in dæmoniaci liberati hiſtoria diximus.

Epheſ. 6.

2. Orat in deſerto. 10. 14.
Ioan. 14.
1. Timoth. 2.

Secundò multa adhuc nocte in deſertũ locum egreſſus, orat. Atqui Chriſtum precibus ad patrem minimè opus habuiſſe conſtat. Eſt enim verus, coæternus & conſubſtantialis Dei filius, eiuſdem cum patre maieſtatis & potentiæ conſors. Orat autem, vt Sacerdotis officium impleat, cui illum pater deſtinauerat, & ita ſe apud patrem pro nobis interceſſorem eſſe teſtatur. Talis ergo à nobis agnoſci debet, nec audiendi ſunt, qui Diuos interceſſores fingunt, quando ipſe ait: Nemo venit ad patrem, niſi per me. Et Paulus, Vnus (inquit) eſt Deus, & vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus. Nec ideò vel Diuis vel Virgini Mariæ quicquam derogamus, ſed electa Dei organa olim fuiſſe,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

fuiſſe, nunc autem in cœlis æterno gaudio frui fatemur: quoad verò interceſſionem, qua nobis apud patrem opus eſt, Ioannis Apoſtoli conſilium ſequimur, dicentis: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum, &c. Interim ſuo exemplo Chriſtus in precibus ſedulitatem & animorum deuotionem commendat, dum & ſummo mane ad orandum ſurgit, & in locum deſertum exit, ne vel hominum ſuperuenientium multitudo, vel alia oculorum obiecta precantis animum turbarent. Idem alibi nos indeſinenter orare, & oraturos ſeceſſum quærere iubet, docens fore, vt orantes pater exaudiat. Et hæc quidem ad priuatas preces pertinent, quæ publicas minimè abrogant, de quibus ſuo loco & tempore dicemus.

1. Ioan. 2.

Preces ſedulos & deuotos eſſe uolunt.

Luc. 18.

Matth. 6.

Tertiò per totam Galilæam Chriſtus prædicat, & illum Capernaum retrahere volentibus, ſe ideò à patre egreſſum, & in mundum veniſſe reſpondet, vt Euangelium hinc inde doceat. Pertinet hoc quoq; ad Sacerdotis munus, quo Chriſtum in hac etiam parte functurum eſſe, olim Moſes & prophetæ prædixerunt. Et ipſe pater idem innuit, cùm cœlitus ait: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt, ipſum audite. Atqui magna hîc elucet Dei bonitas, qui corruptiſſimo hominum generi filium ſuum doctorem dare voluit, qui vt olim ipſe doctoris officio functus eſt, ita à dextra patris nunquam non ſpiritus ſui dona largitur, & alios quidem dat Apoſtolos, alios doctores, alios prophetas, alios Euangeliſtas, ad inſtaurationem ſanctorum. Et hîc quidem Euangelicæ doctrinæ dignitas & authoritas aſſeritur, quando huius miniſter & præco ipſe Chriſtus, Dei filius, eſſe voluit: cuius contemptores & hoſtes meritò cenſentur, qui illam hodie oppreſſam volunt. Noſtrum fuerit, Ieſum Chriſtum humani generis vindicem, mediatorem, ſaluatorem & doctorem catholicum agnoſcere, illi credere, eiuſdemq; doctrinæ & exemplo inſiſtere,, cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.

3. Prædicat Euangelium.

Deut. 18.

Iſaiæ 2. 50. 61. &c.

Matth. 17.

Epheſ. 4.

Euangelij dignitas.

## HOMILIA XV.

Et uenit ad eum leproſus, deprecans eum, eiq; ad genua procidens, ac dicens illi: Si uis, potes me mundare. Ieſus autem miſertus, protenſa manu tetigit illum, & dicit ei: Volo, mūdus eſto. Et cùm dixiſſet, ſtatim diſceſsit ab eo lepra, & mundatus eſt. Et comminatus ei, ſtatim emiſit illum, dicitq; ei: Vide, ne cui quicquam dicas: ſed abi, oſtende te ipſum ſacerdoti, & offer pro emundatione tui, quæ præcepit Moſes, in teſtimonium illis. At ille egreſſus cœpit prædicare multa, & diuulgare ſermonem, ita ut iam non poſſet Ieſus manifeſtè introire in ciuitatem, ſed foris in deſertis locis erat, & ueniebant ad eum undique.

QVemadmodum Dei filium, Ieſum Chriſtum, iuxta æternum patris decretum, hominem fieri & noſtræ redemptionis ergò in mundum venire oportuit: ita eiuſdem potentiam & maieſtatem multis miraculis reuelari & commendari neceſſe fuit. Cauſa eſt, noſtri ingenij corruptio, quod vili & ignobili Chriſti ſpecie, & crucis ignominia offenditur. Debent ergo miracula hæc non obiter legi, ſed ita conſyderari, vt & Chriſtum ex illis agnoſcamus, & noſtri officij admoneamur, quod illis præſtandum eſt, qui ſalutis per Chriſtum partæ conſortes fieri cupiunt. Eodem & præſens hoc referri debet, quo & totius humani generis conditio, & Chriſti ſaluifica virtus, & ſaluatorum officia luculentiſſimè adumbrantur.

Argumentum & uſus præſentis loci.

Primò enim leproſus producitur, in quo noſtræ naturæ infelix corruptio elucet. Lepra ſiquidem ex aduſto & corrupto ſanguine exorta, omnia membra exitiali planè contagio depaſcitur, faciem totumq; reliquum corpus turpiter defœdat, & apertis notis conſpicua, infectos ab hominum commercio excludit, nec vlla ope aut arte humana curari poteſt. Atqui eadem eſt omnium hominum, quoad animas noſtras, conditio. Nam ex primo parente peccatum hæreditario iure, ceu contagio quodam in nos deriuatur, quod intra viſcera noſtra incenſum noxijs cupiditatibus inflammat, operibus prauis palàm erumpit, & miſeros nos tum à Dei conſpectu, tum ab eccleſiæ Dei conſortio excludit. Adhæc incurabile malum eſt, quod nullis noſtris vel viribus vel meritis pellitur. Niſi ergo aliunde nobis medicina veniat, neceſſariò pereundum erit.

Leproſus humani generis typus.

Leuit. 13. & 14.

*Leproſus, quid nobis faciendũ ſit, ſuo exemplo docet.*

*Pſalm.1.*

*Acto.4.*
*1.Cor.1.*
*Matth.9.11.*

*1.Pet.5.*
*Luc.18.*
*Pſalm.51.*

*Rom.1.16.*
*2.Cor.10.*

*Hinc verò quid leproſus iſte fecerit, videndum eſt, & mox quæ noſtræ etiam ſit ſalutis ratio intelligemus. Primò agnoſcit is morbum ſuum, quæ cauſa eſt, quòd mundari cupit. Eſt hoc ſalutis principium. Vt enim qui morbum ſuum ignorant, de medico & medicina non multùm ſoliciti ſunt: Ita quicunq; ſe peccatores eſſe non agnoſcunt, nec quanta ſit peccati atrocitas intelligunt, nunquam de ſalute ſua ſeriò cogitare ſolent. Frequenti igitur Legis ſtudio opus eſt, quæ ſpeculi inſtar noſtram fœditatem atq; corruptionem arguit, & peccati blanditias, quibus ſeſe in animos noſtros inſinuat, longiſſimè arcet. Quòd ſi qui nec ipſi ſuam corruptionem agnoſcere, nec ab alijs argui volunt, illorum ſanè incurabilis & deplorata eſt conditio. Deinde vnum Chriſtum accedit noſter hic, nec vllos alios vel medicos, vel interceſſores quærit. Idem nobis quoque ſufficere debet, quando conſtat, nullum nobis aliud ſub cœlo nomen datum eſſe, in quo nos ſaluari oportet, præter vnum hunc, qui nobis à patre factus eſt ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio. Idem ſe ægrotantibus medicum veniſſe profitetur, & laborantes omnes amiciſſimè ad ſeſe inuitat. Quare nec interceſſore aliquo nobis apud illum opus eſt, cum illum pater apud ſe pro nobis interceſſorem atque mediatorem conſtituerit. Vbi verò in Chriſti conſpectum venit leproſus, ad genua illius procidit. Quo geſtu animi contritio & humilitas adumbratur, quæ ex noſtrijpſius & peccati agnitione enaſci ſolet. Opus hac nobis eſt quam maximè. Vt enim Deo exoſa eſt ſuperbia & inſolens propriæ iuſtitiæ fiducia: ita idem ille cor humiliatum & contritum benignus ſuſcipit. Adhæc plena fidei eſt leproſi oratio. Si vis (inquit) potes me mundare. Potentiam ergo in Chriſto agnoſcit abſolutam & liberam, nec quicquam de illa dubitat. Voluntatem verò eidem liberam facit, nec illi aliquid impudentius præſcribit, quin huic ſe totum ſubijcit. Eſt hæc fidei obedientia, quam Paulus prædicationis Euangelicæ & cognitionis Chriſti finem atq; ſcopum facit. Imitemur itaque leproſi huius exemplum, & de potentia Chriſti atq; meriti ipſius virtute nihil dubitemus, quando vnum illud expiandis omnibus totius mundi peccatis ſufficit, & eidem omnis poteſtas data eſt in cœlo & in terra. Nec minus certa nobis eſſe debet eiuſdem voluntas, quæ ad ſaluandum ſemper propenſa eſt, cum bonus ille paſtor ſit, qui animam ſuam pro ouium redemptione dedit, nec quenquam ad ſe venientem foras eijcit. Quod verò externa & quæ corpus ſpectant, ſiue tentationes, quibus in hoc ſeculo exercemur, illius quidem auxilium petere, nihil autem illi audacius præſcribere, ſed totos nos ipſius arbitrio ſubijcere debemus, quod ipſum proprio exemplo docet, quando mortem aditurus ad montem Oliueti in hunc modum orat: Pater, ſi vis transfer poculum hoc à me. Veruntamen non mea voluntas, ſed tua fiat. Ita verò orantes, etſi non ſemper voti compotes reddat, exaudit tamen & conſolationis ſpiritu inſtruit & inuictos reddit.*

*Chriſtus medicus, qui animæ lepram ſolus curat.*

*1.Tim.1.*

*Iſa.43.44.*

*Pſalm.51.*

*Porrò Chriſtum videamus, quid ille cum leproſo opem petente egerit. Primò illius miſertus eſſe dicitur, vbi ea voce vtitur Marcus, quæ ipſis viſceribus motum fuiſſe ſignificat, eum nimirum affectum Chriſto tribuens, quem natura parentibus erga ſuos liberos inſeuit. Deinde extenſa manu illum attingit, quod lex facere prohibebat. At charitati cedunt omnia, nec diſplicet Deo, ſi eiuſmodi habeamus cum peccatoribus commercia, quæ ad illorum emendationem faciunt. Interim noſtræ ſalutis myſterium hic latet, & nos per incarnationis Chriſti meritum à peccatis mundari docemur. Per hanc enim nos quoq;, quaſi manu extenſa, Chriſtus attingit, & ſibi inſitos ſuæ mortis, quam in carne ſuſtinuit, merito nos abluit, & peccati noxa liberat. Addit his verba, quibus & voluntatem ſuam & potentiam ſaluificam teſtatur. Volo (inquit) mundus eſto. Et quod illi dicitur, nobis quoq; dici putemus. Nam & nos mundatos vult Chriſtus, cùm non alia de cauſa in mundum venerit, quàm vt à peccatis ſimul & peccatorum pœna humanum genus liberaret. Magnum verò potentiæ Chriſti argumentum eſt, quòd ad illius mandatum lepra toto corpore recedit, & è veſtigio mundus apparet, qui illa ante infectus fuerat. Multa eius generis in alijs quoq; Chriſti miraculis occurrunt, quorum omnium finis eſt, vt ſalutiferam illius virtutem agnoſcamus, nec terreamur peccatorum noſtrorum atrocitate, quando Chriſtum omnibus illis diluendis ſufficere, tam multis tum ſcripturæ teſtimonijs, tum exemplis, conſtat. Eius enim voces ſunt apud prophetam: Ego ego ille ipſe ſum, qui deleo tranſgreſſiones tuas, idq; propter me, & peccatorum tuorum non amplius recordabor. Item: Ego delebo tranſgreſſiones tuas, vt denſas nebulas, & vt nubem peccata tua. Quare cum Dauide nobis conſtanti animorum fiducia orandum erit: Expia me hyſopo, & mundus ero: laua me, & niue ero candidior.*

didior. Obſeruabis tamen mundationem hanc per verbum nobis offerri, quod à nobis per fidem excipi oportet, qua de re non ſemel diximus. Et huc illud Chriſti pertinet: Iam vos mundi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Ioan. 15.

Vt mundatum abs ſe Chriſtus dimittat.

Cæterum diligenti conſyderatione dignum eſt, quomodo mundatum iam abs ſe Chriſtus dimiſerit. Prohibet, ne quid alicui mortalium dicat, ſed abi (inquit) oſtende teipſum ſacerdoti, & offer pro emundatione tui, quæ præcepit Moſes, in teſtimonium illis. Quæ verba papiſticæ tyrannidis aſſertores pro confeßione auriculari allegant. Sed adeò ridiculus & ineptus illorum error eſt, vt multis confutari non mereatur. Nec enim ad ſacerdotes ablegatur leproſus, vt ab illis mundetur, ſed iam mundatum illuc ire iubet. Quare etſi allegoriam ipſorum admittamus, non tamen inde aliud ſequetur, quàm quòd ij demum ſeſe miniſtris eccleſiarum ſiſtere debeant, qui à Chriſto remißionem peccatorum iam impetrarunt. Quid verò iſta ad auricularem confeßionem faciunt, in qua miſeri & peccatis onerati à ſacrificulis remißionem petunt? Hanc certè apud vnum Deum inueniri, catholicus ſcripturæ conſenſus docet, & phariſæi, obſtinatißimi aliâs propriæ iuſtitiæ oſtentatores, non dißimularunt. Miniſtris autem remißionis peccatorum & gratiæ Dei prædicatio commiſſa eſt, quam veram & ratam experientur, quicunq; illi firmiter crediderint. Vide Matth. 16. Marc. 16.

Matth. 9.

Quare mundatus ad ſacerdotes mittatur.

Alias ergo huius mandati cauſas inquiramus oportet, quæ duæ potißimùm occurrunt. Altera ex lege eſt, cuius vſus nondum abolitus erat. Hæc autem lepræ cenſuram ſacerdotibus iniunxerat, adeò vt illorum eſſet, lepra infectos ab eccleſia & populi conſortio excludere, & mundatos denuò admittere. Ne quid ergo legibus contrarium faciat Chriſtus, hunc ad ſacerdotem abire iubet, vt illius iudicio & teſtimonio ad hominum commercia rurſum admittatur. Ita verò Chriſtus ſuo exemplo eos arguit, qui ſub Euãgelij prætextu leges politicas turbant, quales omnibus ſeculis multi fuerunt, & quorum veſtigijs Anabaptiſtæ hodie inſiſtunt, genus hominum, quod ad eccleſiarum & rerumpub. euerſionem natum eſſe dixeris. Altera huius mandati cauſa eſt, quòd calumniatoribus occurrere vult, & ipſos ſacerdotes proprio ipſorum teſtimonio conuincere, qui omnia illius miracula improbè cauillari ſolebant. Cùm enim hunc verè mundatum eſſe pronunciarent, & ſuo ſuffragio ad hominum commercia rurſus admitterent, palàm certè Chriſto diuinitatis teſtimonium deferebant contra ſeipſos, adeoq; proprio ore ſeſe damnabant cùm eum reijcerent, cuius opera planè diuina & ſalutaria eſſe fatebantur. Ideo hoc illum ipſis in teſtimonium facere iubet, ne ſcilicet poſthac aliquam ſuis operibus contradicendi occaſionem habeant. Atqui hoc ipſam nobis quoq; dici putemus, quibus Euangelium tam multis tamq; præclaris Chriſti miraculis confirmatum prædicatur. Eſt enim etiam hoc Chriſti Ieſu teſtimonium, quo nomine Apoſtoli teſtes Chriſti dicuntur. Idem verò ijs, qui credunt ſalutis teſtimonium eſt: non credentibus autem & improbè reluctantibus damnationis teſtimonium præbet, & illos in Dei conſpectu omnino inexcuſabiles fore docet. Imò contra ſeipſos ſimul teſtimonium ferunt, quotquot hodie Euangelij præclara effecta vident, & licet illa fateri cogantur, pergunt tamen in pertinacia ſua, qua illud perſequuntur & extinctum volunt. Ingerit præterea illorum oculis Chriſtus infinita teſtimonia, quæ velint nolint agnoſcere coguntur; quando ſuperſtitiones corruere, errorum tenebras diſcuti, peccatorum laqueos abrumpi, mores hominum publicè & priuatim in melius mutari, deniq; multos ſanctè & inculpatè viuere, & iam verè mundos eſſe vident, qui prius corruptæ naturæ lepram in omnibus ſuis dictis & factis apertè prodebant. At cum hæc omnia illi contemnant, nec ſe quoque mundari patiantur, digni profectò ſunt, qui in ſua lepra æternum pereant.

Leuit. 13.

Apoc. 1. Io:n. 15. Actor. 1.

Leproſi gratitudo.

Sed ad leproſum redeamus, qui mox digreſſus, Chriſti bonitatem atque potentiam prædicat, & rem omnem diuulgat. Atqui ad ſacerdotem quoque illum abijſſe credibile eſt, nec immorigerum fuiſſe Chriſto, à quo tantum beneficium acceperat. Admonemur illius exemplo, nos Chriſto gratiarum actionem debere, qua ipſius nomen paßim celebremus. Eſt hæc gratißimi ſacrificij inſtar apud Deum, ſicuti Dauid teſtatur Pſalm. 69. Et Chriſtus in ceremoniarum legalium locum Cœnam euchariſticam inſtituit, cuius præcipuus finis eſt, vt beneficium, quod ſua morte nobis contulit, pia & grata commemoratione celebretur. Vide Paulum in priori ad Corinth. cap. 11.

Miraculi effectus.

Quoad populum verò, hic miraculi effectus fuit, vt vndiq; multi eius fama excitati confluerent, adeò vt ne vrbem quidem Chriſto palàm ingredi liceret. Et alios quidem doctrinæ Chriſti ſtudio,

*alios verò carnalium beneficiorum deſyderio excitatos fuiſſe, ex alijs ſimilibus locis facilè conijcitur. Docemur autem nunquam omni in vniuerſum fructu carere qualemcunq; Chriſti cognitionem. Nec enim deſunt, qui etſi primò ſpe temporalium bonorum excitentur, mox tamen deguſtato Euangelicæ doctrinæ fructu ingentes progreſſus faciunt. Quòd ſi verò tantum apud iſtos potuit mundati leproſi miraculum, multò magis nos vniuerſali humanæ redemptionis beneficio excitari conuenit, vt Chriſtum Ieſum amplexi, illum vnum ſectemur, & colamus; cui debetur benedictio, honor, gloria & poteſtas in æternum. Amen.*

# CAPVT II.

## HOMILIA XVI.

ET iterum intrauit Capernaum poſt dies aliquot, & auditũ eſt quòd in domo eſſet: & protinus congregati ſunt multi, adeò utiam non caperent eos nec ea quæ circa ianuam erant loca, & loquebatur eis ſermonem. Et ueniunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur. Et cum nõ poſſent appropinquare illi præ turba, nudauerunt tectum ædium, in quibus erat perfoſſoq; tecto demittunt grabbatum, in quo paralyticus iacebat. Cum autem uidiſſet Ieſus fidem illorum, ait paralytico: Fili, remittuntur tibi peccata tua.

*Argumentum & uſus præſentis loci.*

*ETSI vniuerſa ſcriptura vnanimi conſenſu omnem noſtræ ſalutis rationem in vno & ſolo Ieſu Chriſto monſtret, ea tamen eſt noſtræ carnis tarditas atq; corruptio, vt illum difficulter admodum Saluatorem agnoſcat, maximè ſi quando aduerſa & tentationes incidunt. Non temere ergo tam multis miraculis ſe eum eſſe declarat Chriſtus, qui in ſcripturis prædicatur. Vidimus ex his quædam hucuſq;, quæ illum animabus noſtris & corruptæ naturæ mederi docent. Subiungit his Marcus nouum & inſolens planè, quo hoc ipſum plenius illuſtratur. Nam paralytico, qui propter peccata omnibus membris captus decumbebat, primò quidem peccatorum remiſsionem offert, deinde verò corporis quoq; valetudinem & integrum membrorum vſum reſtituit: Ita nimirum re ipſa demonſtrans, ſe animarum ſimul & corporum ſaluatorem eſſe, qui homines ita reſtituat, vt ad omne opus bonum & ad ſalutem capeſſendam idonei ſint, qui ex ingenita corruptione alioqui nihil aliud quàm peccare poſſunt. At quia ſimul multa alia concurrunt obſeruatu digniſſima, ſingulas totius hiſtoriæ partes ex ordine tractabimus.*

*Chriſtus redit Capernaum cum fœnore.*

*Orditur à temporis & loci notatione Marcus, quando Chriſtum in vrbem Capernaum poſt aliquot dies rediiſſe ſcribit, vnde antea digreſſus erat, tum vt alijs quoq; ciuitatibus prædicaret, tum vt liberius precationibus vacare poſſet. At aduentus illius fama excitati ciues turmatim ad illius hoſpitium confluunt, & inter hos nonnulli etiam ex phariſæorum & ſcribarum ordine, ſicuti ex ſequentibus patet. Hinc igitur arrepta occaſione illis verbum ſalutis prædicat, & ſimul ſanandi virtutem exerit, vt Lucas teſtatur. Ita verò non abſq; fœnore eò redit Chriſtus, vnde ad tempus diſceſſerat. Eſt hoc illi perpetuum. Nam à mortuis quoq; glorioſior ad ſuos diſcipulos redijt, & olim in nouiſſimo die illuſtriſsimus glorioſiſsimusq; in nubibus cœli veniet, vt ſuos plenè aſſerat, quos interdum inter huius ſeculi tribulationes omnino deſeruiſſe videtur. Horum nos meminiſſe conuenit, ſi quando aduerſis preſsi & tentationibus obruti, Chriſtum noſtri curam depoſuiſſe putamus. Ita enim nos exercere ſolet, vt carnis ſocordiam excutiamus, & maiori gratiæ & ſalutis ſuæ deſyderio inflammemur, cuius iucundiſsima ſimul & ſaluberrima illuminatione tandem ſuos exhilarare conſueuit.*

*Luc. 5.*

*Chriſtus docet, & inter docendum ſanat ægrotos.*

*Imprimis autem obſeruabis, quòd reuerſus in vrbem mox docet. & inter docendum virtutem ſanandi exerit. Admonet hoc, quanta ſit doctrinæ Euangelicæ dignitas, & quàm ea nobis ad ſalutem conſequendam neceſſaria ſit. Conſtat enim hominem ex ingenita corruptione nihil eorum ſapere, quæ ſunt ſpiritus Dei, nec modò ad malum procliuem, verumetiam infirmiorem eſſe, quàm vt peccati*